


cretum meminit] erecta , destruat veritatem , quam [ut ab ulteriori tandem Litigio in hac parte me eximam] per modum depositi potius relinquam Modesto Verino integrum , quam velim , ut eadem veritas dividatur . Stamus interim ante tribunal arbitrarium benevolentum Lectorum , quo me jam secundò pertraxit ejusdem inquietudo Adversarii . Responcionem Modesti Verini , quam pag . 197. dedit ad objectionem , sicut & alias tangam in sequentibus cum Statuaria hac inquisitione conjunctis .



CAPUT SECUNDUM,

*An habitus Observantinus verè , & se
toto sit Regularis , an solùm Apostolicus ?*

Num. 1. Resolvendum inò , quòd licet doctissimus Suarez ex eo , quòd habitus non faciat Monachum , possitque tota Religio manere eadem mutato habitu , hoc sensu sustineat , habitum Religionis esse quid accidentale , aliis tamen cum *Rotario* Theol. Moral. Regular. Tom. I. Lib. 3. puncto 1. N. 7. probabilius videtur , habitum cuiuscunque Religionis pertinere ad substantiam illius , tanquam signum visibile unam Religionem ab alia discernens : quod quidem signum purè accidentale est respectu Dei , qui corda intuetur , respectu ta-

men

ſtruat veritatem.
Litigio in hac par-
deponit potius re-
egram, quām ve-
atur. Stamus in te-
rium benevolorū
undo perratix eju-
rii. Response
3.197. dedit ad ob-
ingem in sequentia
one conjunctis.

CUNDUM,
ntimus est, & ſe-
ſolum Apologetus
m immo, quod hie
o, quod habitus n
que tota Religio n
a, hoc ſenſu Iuſtine
quid accidentale, ill
teol. Moral. Regula
1. N. 7. probabili
cunque Religionis pe
lius, tanquam ſignum
em ab alia diſcernere
pure accidentale eft
intetur, refpectu man

ſten hominum, ex oculari intuitu judicantium, ſubſtantiale eſt, & diſtinctivum unius Ordinis ab alio Ordine. Adde ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 183. art. 2. quod statuum, & Officiorum di- veritas ſpectet ad Eccleſiæ viſibilis ornamen- tum, & decus. Ex quo colligunt Doctores, tantam in Eccleſia DEI Ordinum diſeritatem valde conſerre ad viſibilis Eccleſiæ admirabilem elegantiam, & pulchritudinem. Por- rò de ſubſtantia ſtatū Religiosi nedum eſt in- terior obligatio ad perfectionem acquirendam per Votorum Observantiam, ſed etiam per aliquod ſignum exterius viſibile & ſenſibile, per quod viſibilis Eccleſia adſtat tanquam Re- gina à Dextris Dei in veftitu deaurato, circum- data varietate religiosorum habituum. Unde & dimiſſio habitū in qua cunque Religione gra- viſſimā mulctatur pœnā, pro quo inter alia vide Bullam Gregorii IX. quæ incipit: *Dudum ap- paruit, apud Waddingum in Apologetico de prætenſo Monachatu S. Francisci.* Atque huic pœnæ Bonifacius VIII. C. 2. ne Clerici, vel Monachi: voluit annexam Excommunicatio- nem. Quæ omnia ſimul ſumpta videntur ſatis probare, habitum Regularem pertinere ad ſubſtantialia. Quod & in terminis iñſinuat D. Thomas ſupra cit. art. 8. ubi poſtquam aſſe- ruit, Epifcopum Regularem manere obliga- tum ad ſubſtantialia ſuæ Religionis, ait: *E*t

per consequens ad portandum habitum sua Religionis, qui est obligationis signum.

Num. 2. Requiritur autem unitas habitus tanta, & talis ad identitatem Religionis, quantum, & qualem Regula prescribit: quia intelligitur de substantia Religionis ut visibilis in tantum, ut per illum significetur talis talium Religiosorum Regulae professio. Nam, ut habet *Passerinus* de hominum statibus Tom. 3. q. 188. art. 1. N. 21. Habitus est de substantia Religionis, ut est pars Ecclesiæ visibilis; & Religio, quæ nullum haberet signum, ex quo dignosceretur, non esset proportionata Ecclesiæ visibili: quoniam in ratione statu foret invisibilis. Illud autem Innocentii III. Lib. 1. Decretal. tit. 31. cap. 13. *Habitus non facit Monachum*, intelligitur sine professione, utpote, quæ sola vera, vel presumpta Monachum facit, & solemnizat votum, ut dicitur in Glossa super cit. cap. 13. *porrectum*. Dixi: *vel presumpta*, nam, ut inquit Abbas apud Fagnanum super eund. loc. Num. 12. Habitus duntaxat non facit Monachum, sed tacita professio, quæ resultat quandoque ex habitus susceptione, seu delatione, Monachum facit.

Num. 3. Atque haec non hic omittere, sed præmittere volui, ne *Modestus Verinus* mihi denuò imponat, quod questionem de habitu universim dixerim, esse de lana Caprina, & querere nodum in scirpo, prout facit *Discursus Polem.*

Polem. pag. 197. Cūm tamen, si circumstan-
tiæ Quæstionis, meorūmque in Dialogo Con-
tin. contextus simul loquantur, simile non di-
xerim, nisi de futili, & inutili dissertatione,
de modo nodorum in Chorda, quo hæc E. g.
ut Capucinica, præsertim in Marmorea statua
differens appetat ab Observantina. Item de
hoc, an Caputium, ex eo, quod Regula
præscribat habitum *cum* Caputio, habitui, &
quidem essentialiter, debeat esse affutum, pro-
ut in Capucinis; vel an sufficiat, alio modo
ante & retro esse affixum, uti est in Observan-
tibus; an hoc debeat esse pyramidale, vel ro-
tundum: ubi, si lana Caprina [quæ in pro-
verbio est] nimium fortè displiceat, dicam esse
quæstionem de acu, aut de alio acumine. Vi-
deat quæso patiens Lector *Discursum Polem.*
loc. sup. cit. ubi eadem *Verina Modestia* nescio,
quam paritatem de Confraternitate Sacré Cor-
dæ, & de denominatione Cordigerorum vulgo
Knodeles adferens, vix me non facit sacrile-
gum, vel Religiosis Ordinibus injuriosum.
Fortè secundum ipsum ne qui dem liceret, quæ-
stionem: an lignea sic dicta *Calepodia* de pre-
scripto Regulæ sint, dicere inutilem, ex eo,
quod in certis locis Franciscani talia in pedibus
portantes à vulgo *Calepodier* vocitentur. Ex-
plodendum metimerem, si ejusmodi nomina
Ori infantium desuper ingesta præsumerem ven-
ditare, de quo alibi agemus. Interim ad rem.

Nun. 4. Resolvendum 2dò, quòd habitus Observantinus non sit nisi suo modo Apostolicus; verè tamen, & se toto est Regularis, seu Regulæ S. Francisci per omnia conformis.

Dixi in 1ma parte: nñ suo modo, quia ore & animo amplector, quòd eatenus sit Apostolicus, quatenus secundùm substantiam, formam, & figuram suam, unà cum sua Mozetta, seu collarì versùs pectus nonnihil dependente, cùmque suo Caputio, non ad longum pyramidalì. sed magis rotundo, atque acu non assuto (licet hæc respectu Regulæ merè accidentalia sint) non à modica summorum Pontificum serie, sive ab Ecclesia Apostolica, usque in hodiernum diem est, & manet approbatus. Imò & tali modo S. Franciscus non tam suam, quam Sti Evangelii Regulam, uti debuit, voluit esse Apostolicam. Quia autem prima pars mæz resolutionis in proba 2dæ Partis satis apparebit probata, hinc

Probatur 2da pars: Imprimis ex eo. quòd Ordo à S. Francisco institutus, tali habitus forma à sua Institutionis primordio usus fuerit; prout Decretum, & quasi sententia Pontificia suprà Cap. 1. Num. 3. ex Authenticis documentis constare pronunciat; Initialis autem Ordo (primordiali id non permittente fervore) non præsumitur, quantum ad hoc, contra præceptum Regulæ impeditum: adeoque talis habitus, totus quantum, est conformis Regulæ. sicque

Que regularis , & non solum Apostolicus in sen-
tu M. Verini , qui Apostolica duntaxat dispen-
satione eum vult esse legitimandum. Ista qui-
dem probatio ad Verinianum fragilem satis im-
petum (saltē assistente Modestia) se solā suf-
ficeret ; adjecerim nihilominus adhuc nonnul-
la , ne ab Apostolica illa sententia fortè appel-
let , Mozettāmque seu Collare à primævo Or-
dinis habitu Motu proprio , & ex certa scien-
tia rejiciat : unde ducatur cautē.

Num. 5. S. Bonaventura , qui quinquennio
ante obitum S. Francisci natus erat , & à cuius
ordinatione primordialis habitūs uniformitas ,
atque ordinata unitas (prout suprà Cap. i. n. 10.
& 11. notavi) computanda venit , hic inquam
in aureo suo , alisque etiam Ordinibus , &
Religiosorum Societatibus usuali libello , quem
speculum Disciplina intitulavit part. 1. Cap. 25.
testatur de Mozetta seu collari , Modesto Veri-
no tam odio , dicens : *Amplitudo , vel Lon-
gitudo vestimentū superflua , sive in Manicis , sive
in Caputio , sive in Collario Caputii est admodum
fugienda.* Et ibidem paulò infrà. *Coaptatio que-
dam religiosa est decens , quadam indecens.* Inde-
cens est , si præter morem Religiosis fuerit curio-
sa : ut Verbi gratiā , si Caputii Collarium qua-
dam in Gyro replicatione juxta mundanorum con-
suetudinem coapteretur ... apicata est vestis , maxi-
mè circa pectus per applicationem ad Collum , ne
Collum ipsum usque ad pectus , & inferiores pan-
ni

ni hominum aspectui exponantur; quod irreligiosum est valde. Cavendum est circa portandi modum, ne quis pereftuat, ut, si os sub Caputio, vel mentum abscondatur. Contra ultimum non video, quomodo quis difficultius, quam Observans, vel Recollecta impingere posset, mentum scilicet, vel os in anteriorem partem immittendo Caputii.

Num. 6. Et quidem, cum pro certo teneatur, S. Bonaventuram Opusculum illud scripsisse, antequam fuisset Ordinis Minister Generalis (in Prologo enim Tractatulum hunc dicit, *per superiorum impositionem exactum*) colligitur, quod ipse introducendo in Ordinem Uniformitatem, non fuerit novae Caputii formae inventor, sed solummodo quam Generalis ordinaverit, ut sublatâ diversitate seu aliquali in Ordine ab ante non prohibitâ differentiâ, omnes uterentur eam, quae ab antiquo inter hinc inde differentes erat magis usitata, nimirum illâ, quae Juxta superius citatum Chyrographum, seu Decretum est Observantina, id est cum Caputio ab habitu facile separabili, sive necessario cum Mozetta, seu Collari, ne alias stante tali separabilitate, seclusoque illo Collari, nuda Colli contra honestatem nimium hinc inde patarent.

Num. 7. Dieit M. Verinus, *speculum* illud *Disciplina* esse conscriptum pro Novitiis. Sed Resp. Imò Novitios ibi non intelligi præcisè illos,

illos, qui annum probationis nondum impleverunt, sed qui Juvenes adhuc Religiosi sunt, & viam perfectionis incipientes: qualiter & me ipsum adhuc valde Novitium profiteor. 2dū si textus suprà citatus solos tangat Novitios nondum professos; vel ergo Sanctus monitum hoc dat ipsis Novitiis, vel superioribus pro Novitiis? non primum: quia rationabiliter conceputibile non est, Novitios nondum professos similis sibi pro libitu adaptare, sicque in illis secundum propriam Voluntatem excedere posse. Imò hoc in ipsorum potestate ponere, est contra textum Regulæ, ibi: *concedant illis pannos probationis*, ergo sibi ipsis eosdem pro libitu non faciunt, vel induunt. Neque etiam 2dū dici potest: alias necessariò debuisset sub Novitiorum expressione sic ponere: *Amplitudo, vel Longitudo Vestimenti superflua sive in Manicis, sive in Caputio, sive in Novitiorum Collario Caputii, est admodum fugienda*; cùm enim etiam professi habeant Vestimentum, Manicas & Caputum, & soli Novitii, conformiter ad illam objectionem, habeant Collarium Caputii, fuisse utique illud ad superiores directum monitum valde obscurum, nisi illud, quod solis Novitiis singulare erat, etiam respectu ipsorum singulariter exprimeretur, quod tamen sanctus non fecit.

Num. 8. Confirmatur assertum ex eo, quod S. Franciscus, ut refertur in Chronicis Ord. part.

part. I. Lib. I. Cap. 29. Fratri cuidam inobedienti mandaverit, ut extractum Caputium in ignem projiceret; unde mihi, nostrisque etiam Observantibus, & Recollectis eruitur, illud de facile fuisse ab habitu separabile, nec fortiter nimis, & undequaque assutum. Quod autem M. Verinus pag. 188. reponat talem assuti Caputii abscissionem utique potuisse fieri in detestationem talis delicti: esto, quod sibi per hoc satisfaciat; Observantibus tamen nullum de contrario injicit scrupulum, nec forte apud alios de plano habebit verisimilitudinis assensum, quantumcunque illud ibidem (non secus ac tibiam tubæ comparans) exemplificat dicens: *Rem cape à simili: si judicis sententia mandet, ut sur extemplo infurcam agatur, in eam agi non poterit, nisi postquam Lector, & Reus ascensibus suis scalam ad id præparatam absolverit.* Ita quoque inobedientis Caputium tunc in ignem projiciendum erat, postquam illud fuerat ab habitu Misselli resectum. Quid clarius? timeo, ne aliquis Dominum M. Verinum ex Mentis distractione putet, verba pro farina obtrudere, aut saltè verbis verba onerare, de uno multa, de minimo magna facere, & equidem principium pettere, nihilque probare. Interim S. Bonaventura opusculor. part. de confessione Cap. 3. sic habet: *Cùm singula ad mentem revocaveris, recundè vade ad sacerdotem, & deposito mantello humiliter genuflecte, & cum extracto Caputio-*

& Junctis manibus dices: Confiteor, usque: ideo precor, & hic incipias dicere peccata &c. Ast ne M. Verinus turpe Lictoris officium (quod & paternæ, & semper viscerosæ S. Patris correp-tioni suprà non quadrabat) hic denuò adducat, libentissimè ipsi ultrò concedam, S. Bonaven-turam pro solis hoc loco Novitiis fuisse locu-tum. Pro Observantina interim forma, totum nostrum intentum (nisi quis sinceris scriptori-bus fictionem imponat) habetur ex eo, quod *Chronologia Historico-Legal*is referens acta om-nium Capitulorum Generalium, pag. 26. agens de Capitulo Generali XII. in simul referat S. Bo-naventuram Anno 1260. Narbonæ celebrásse Capitulum Intermedium, cuius acta & ordi-nata referens, post articulum 9. ponit, quod sanctus ille Caputii formam alteram prescrip-serit, &, ut habitum à Pastoricio, quem fratres gerebant, religiosiori specie distingueret, & com-modius daret Capitifomentum, rotundum adje-rit cooperimentum, demisso ad scapulas antiquo cacumine, & ad pectus parte Orbiculari. Ecce Mozetta, quæ Colli nuda tegit, absque Capu-tii ad habitum assutura.

Num. 9. Nescio quis, nisi proprius forte motus, R. P. Hierotheum in sua *Epitome ad me*, meumque primum de Anno 1743. Dia-logum deduxerit, cum, ne incidenter quidem de habitu in illo disputaverim; quare, ut me paulisper pro aliqua respiratione ab ipso, ejus-que

que Modesto Verino expediam, ad alium ipsos deduco adversarium, & quidem tales, cuius Authoritatem ob propriam s̄epe factam confessionem, nullatenus debent rejicere, nisi ex authoritatibus id solūm, quod ipsis arridet, velint arripere. Est autem hic Antonius Lucci, prout s̄epe ab ipsis citatur, *Rationum Historicarum* prætensus Author, qui cap. 15. pag. 298. contra statuariam M. Verini, pro solius Capucinici habitū & Caputii genuinitate probani, plures adducit antiquas statuas, quas evidenter ait demonstrare, habitum Conventualium esse genuinum primævi Ordinis Minoritani, à quo equidem sic asserto habitu, Capucinus magis differt, quāz Observantinus, utpote, qui cum illo quoad Mozettam & Collare, à M. Verino tam constanter reiectum habet causam communem; & (præscindendo à qualitate panni & colore) solūm differunt ambo inter se, per hoc, quod Collare Observantinum, juxta etiam antiqua Ordinis statuta, juncturas humerorum non excedat, sicut illos notabiliter excedit illud PP. Conventualium. Unde & idem Author concedit, juncturas humerorum in his statuis parum, in aliis multū exedi. Cūm hoc ergo, mi M. Verine, tibi in hāc parte non segniter pugnandum erit, si tamen ad Decretum Pontificium suprà Cap. I. n. 3. adductum non velis attendere.

Num. 10. Unum adhuc est, quod in proba
M.

M. Verini non capio, forte nec ipse se capit, quia de duobus fatis oppositis unum idemque facit; nam pag. 169. probandum assumit, quod primævum Ordinis Minoritani Caputium sit *quadrum ac pyramidale*; ubi non video, quomodo quadrata; quæ alias cum rotundis non convenient, Mathematicè misceantur cum pyramidalibus. Evidem commixtio illa ipsi necessaria fuit, tum, ut suum Boyerium imitaretur, tum, ut paginâ seq. ad se traheret Authoritatem Bartholomæ Pisani, quem ad longum adducit; esto, ut ibidem videre est, nihil ad ipsius intentum dicat, nisi, quod S. Pater Caputium portaverit *quadrum, ac tanta longitudinis, ut faciem operiret*. Ubi nihil de pyramidali. Arturus in Martyrologio Francisc. ad diem 3. Augusti ex eodem Pisano, aliisque quam pluribus apud ipsum citatis dicit, Caputium S. Francisci non fuisset rotundum, nec pyramidale, sed quadratum, seu quadrata formæ, absque alio acumine, quam quod ex figura quadrata, ejusque plicatione resultat. Adducit etiam habitum S. P. Florentiæ in Hetruria, aliumque Assisi in æde S. Georgii (quæ est Monialium S. Claræ) assertos, quorum Caputia ex oculatis testibus, dicit esse in *quadrata propè formā parumper acuminata*, consequenter non pyramidalia. Ipse etiam M. Verinus in sua quadratura quidem constans, pag. 171. adducit Henricum Sedulium testimoniū Observan-

tinum, qui tamen de *pyramidali* ibidem ipsi nihil plane dicit. Ne autem Lectores extranei in terminis laborent: quadratum Caputium cum *Tossiniano*, *Albaspinæ*, *Roufferio*, & *Vitellorino* in Notis sup. Reg. Frat. Minor. cap. 2. Item cum *Rapinao* in Histor. Generali de Orig. Recollectorum, & aliis apud Arturum supra citatis, ita explicatur: plica semel pannum quadratum, & extremitatem unam ad aliam oppositam jungens, habebis triangulum, ita ut duangulus sit inferiùs, alter angulus superiùs: unam deinde extremitatem duanguli trahe ad alteram, & habebis Caputium per tertium angulum superiorum moderatè acuminatum. Hæc finè præjudicio artis peritorum hic adducere volui, qui alias de Minutiis istiusmodi, nisi ab Adversario inductus, disputare non assuevi.

Num. 11. *Dominicus Gubernantis* in suo *Orbe Seraphic.* Tom. 2. Lib. 10. cap. 5. n. 69. ad rem nostram scribit, quod RR. PP. Capucini quadratum hoc Caputium per Bullam Clemensis VII. *Religionis Zelus.* impetrârint, quod tamen in pyramidale conversum (Boverius, etiam Mathematicæ terminos præteriens, quadratum & pyramidale unum esse, ac idem, nobis passim affirmat) tum verbo, tum scripto pro restituto S. Francisci habitu deprædicant. Hanc Vestimenti formam sibi appropriari, aliisque interdici à succedentibus Summis Pontificibus impetrârunt. Ex post sub *Urbano VIII.* atque

que protegente suo S. Onuphrii Cardinale, Pontificis Fratre germano, pro soleis, pro Mozetta latitudine, pro Mantelli longitudine, pro Caputii decurvatione, pro aliis hujusmodi Minutiis, variis cum Regularibus (quos omnimodè à se voluerunt differre) litigārunt. Laudo quidem, ac commendo (quod à principio Ordinum Mendicantium fuisse legimus observatum) Regulares, sicuti per varias professiones distinguuntur, ita & habitū formalitate in extrinseco discerni pluribus de causis. Quod autem R.R. PP. Capucini per habitum Franciscanum, atque per pyramidale Caputii, simul ac protensæ barbæ gestationem ab Observantibus non distinguuntur ad sufficiētiam, capere nunquam potuerunt viri cordati. Evidem super hujusmodi controversiis deputati, pro distinguendo Capucinorum habitu, tres Sacrosanctæ Theologie Magistri ex almo Prædicatorum Ordine, nempe Nicolaus Riccardi, Gregorius Donatus, & Franciscus Capiferreus. Simul etiam de S. Societate Jesu Doctissimi illi Joannes de Lugo, Joannes Lorinus, Ferentius Alciatus, & Thomas Pisdominus, post singulas Minutiarum prætensiones sedulò examinatas, tandem mense decembri Anno 1622. per propriam sigilli decisionem concordarunt: Longum illud & pyramidale Caputium, barbamque protensam pro amplissimo assignando distinctivo sufficere, prætensa cætera tanquam inutilia rejecerunt: quasiverò ad statuendam in singulis Minutiis

nutiis à PP. Capucinis distinctionem , Regularibus cæteris indicenda sit habitus , aut Calceamenti Mutatio ; aut Cæteri Mendicantes sanctitatis famâ conspicui , atque sanctorum meritis abundantiores , nisi usurpato Capucinorum habitu , vel titulo , eleemosynas à Benefacto-ribus se habere desperent . Ità Author præcita-tus.

Num. 12. Graviori atque diuturniori contentione contra Recollectos Galliarum egisse narrantur , prout *Orbis Seraphicus* loc. cit. refert . Cùm enim Recollecti illi Caputium suum Quadratum , cum patenti tamen Mozetta rite formatum (quamvis extrinsecus in acuminatum terminare videatur) ad eorum in Urbe diutiùs agitatam prætensionem , nullo modo vellent mutare ; tandem per Cardinalem Caraffam , aliósque à Pontifice deputatos coram Observantium Commissario Generali Curiæ Antonio de Ribera , & Capucinorum Procuratore Generali actum est de ineunda aliqua Concordiæ via , respondentे verò Capuccino , se ad omnia paratum esse , dummodo Recollecti quadratum suum Caputium deponerent : Opposuit Observantium Commissarius , quod devictâ etiam pro Capucinis lite , nihil ultra hoc petere posset ; Recollectos etiam majori promptitudine quadratum Caputium suum deposituros , si Ca-pucini pyramidali deposito , quadratum ipsis à Clemente VII. præfinitum , nullaque legitima-

ma

mā Authoritate mutatum reassumerent; ostensōque Cardinalibus & coram extenso Recollectino Caputio, voluit, ut viderent, quantum à Capucinico distingueretur: unde Controversia illa, tot antea rumoribus agitata, in nihilum evanuit, sicut reverā etiam erat nihilo affinis.

Num. 13. Interim Caputium quadratum suprà N. 9. explicatum, & juxta Authores etiam à M. Verino citatos in habitu S. P. Francisci relucens portant Recollecti, à quibus RR. PP. Capucini sufficienter sese distinguunt per pyramidale. Ubi notandum, quod M. Verinus pag. 172. non ex Bulla aliqua, sed ex proprio motu loquatur, dum ibidem afferit à Pontificibus inhibitum, ne Recollecti in Gallis, & Conventualium Reformati in Italia ... pyramidalia seu acuminata, sed rotunda Caputia ferrent. Bulla enim Gregorii XIV. quae incipit *Beati*, quam confirmavit Gregorius XV. per aliam: *Ex injuncto*, prohibitivē de solis loquitur Conventualium Reformatis; atque etiam in posterioribus Litteris Urbani VIII. quae incipiunt: *In supremo* PP. Recollecti (ut refert idem *Orbis Seraphicus* ibidem) variis ex titulis prætendebant se non esse comprehensos. Pessimè etiam ibi M. Verinus, seu noster sub ficto nomine Anonymus, ex constitutione: *Beati*: quam suprà allegavi, & totam legi, simili Recollectis illis applicat illud Bullæ: *Rationabile est, ut, qui ex*

instituto Regulæ, atque in vita Regularis Observantia uniformes non sunt, etiam habitus distinctione dignoscantur. Cùm Gregorius XIV. in illa Bulla nullatenus Recollectis (quos in tota Bulla ne quidem nominat) sed nominatim *Conventualium Reformatis* illud applicet; nam in eadem § 4. sic loquitur: „ Verùm, quia iisdem Fratres, qui Reformati Conventualium dicuntur, ita consimiles iisdem Fratribus Capucinis incedere præsumunt, ut passim à populo pro Capucinis habeantur, & illis tantum quam Capucinis Eleemosynæ conferantur... Idcirco rationabile existimantes, ut, qui ex instituto Regulæ, atque vitae Regularis Observantia uniformes non sunt, etiam habitus distinctione dignoscantur. „ Interim pandatur rete hoc ante oculos pennatorum, ne alias Recollectos debeas intelligere PP. Capucinis ex Instituto Regulæ, atque in vita Regularis Observantia non esse uniformes, quibus tamen ex vi Professionis suæ coram Deo, & Mundo uniformes esse tenentur, nullam agnoscentes Dispensationem. Unde infidelis est allegatio

Num. 14. Porro, sicut Anonymus noster hic ex amore proprio non tam tutè, quam astutè applicat, ita in sequentibus ex defectu propriæ inspectionis minus verè citat. Nam pag. 168. *Hugonis & Brandolini*, vel hujus ex illo autoritatem adducit, quasi tenerent in Cap. 2. Regulæ per particulam *Cum præcipi unitatem*, ac simul-

simultatem, id est (prout pag. 183. iterum repetit) Caputii ad habitum assuturam. Cùm tamen ipse Hugo [Brandolinum nunquam vidi] citato loco Regulæ ne vel verbulum habeat, ex quo id, etiam à longè erueretur: nam verbis illis Regulæ ad Professos: *habeant unam tunicam cum Caputio, & aliam sinè Caputio, qui voluerint habere;* solum postillando subjungit: non potest pluralitas minor esse duabus numero. Non necessitatis excessu duas tunicas habere, & non plures, Regularis est forma; plures vero duabus habere, dispensationis est Regula, auctoritate illorum, quibus datum est Fratribus providere secundum loca, & frigidas Regiones, sicut necessitatì viderint expedire. In quibus verbis (minus in sequentibus & præcedentibus) nihil sanè relucet de asserta habitū cum Caputio unitate, & similitate.

Num. 15. Interim (salvo titulo) Modeste Verine, nemo Capucinorum Religiosissimum habitum censurat, nemo irregularem dicit, esto, quod pro se in qualitate primævi Ordinis habitū, Pontificiam sententiam, similem illi, quam suprà cap. 1. N. 3. attuli, non habeat; unde nec te propter Observantinam, ut afferis, irregularem formam debes tutbare; licet enim Observantes Caputium habitui acu assutum non habeant, sed affixum; habent tamen unam tunicam, seu habitum, prout Regula præcipit, cum Caputio. Cur enim illa non posset dici

tunica cum Caputio , ad quam ex sua adaptatione Caputium tam necessariò pertinet , ut sine illo aliquis Recollecta , vel Observans honestè non compareret , propter nodos Caputium ante , & retro affigendi , ipsi tunicæ annexos ; Imò remoto à tunica Observantina Caputio . per illius à retro incisionem , tergi nuda indecentiùs apparerent . Priùs autem assertam Caputii ad habitum affixionem non habent nostri Novitii , sicutque habent tunicam sine Caputio ; atque hi insuper ad præscriptum Regulæ , portant Caparonem usque ad Cingulum , quod est potissimum Minoritanorum Novitiorum insigne , eorumdémque à Professis distinctivum . Unde S. Bonaventura in Expositione Regulæ cap. 2. his verbis : & Caparonem usque ad Cingulum , postillando immediatè subjungit : ut more antiquorum Religiosorum distinguantur habieus Novitiorum ab habitu Professorum . Ab ista autem generali Lege excipiens (scilicet S. Franciscus in Regula) addit : nisi eidem Ministris secundum Deum aliquando aliud videatur . Ex hoc verbo S. Francisci procedit , ut istud Novitiatū insigne paucissim concedatur : quia crescente vanitate non est mirum , si humilitas minuatur . Ex quibus S. Bonaventuræ verbis patet , quodd alia , quoad habitum Novitiorum Ministris Provincialibus , in ipsa Minorum Regula , concessa dispositio tunc temporis magis fuerit in usu , quam modò , dum jam ratissimè Novitiis statim concedatur habitus .

habitus Professorum. Pro hoc etiam Hugo de Dina suprà citatus sic postillat: *Probacionis datur panni: nisi eisdem Ministris atiud &c. non secundum propriam voluntatem, sed secundum Deum, pro honestate & utilitate Ordinis, & conditione Recepti, aliquando videatur; tunc enim possunt ipsi (scilicet Novitio) dare habuum Professorum.* Quod ipsum si M. Verinus in Hungone (qui suprà ad ipius intentum ne vel verbulum habet) legisset, depotuisse forsitan nimium scrupulum, ex quo pag. 183 loquens dicit: *Imò, si particula (Cum) hanc ex Regula sensum non facit, Observantes aque at Capucini in Regulam continua transgressione peccabunt: è quòd eorundem Novitiū habitum non sive, sed cum Caputio gestent.* Cui ego superaddo problematicam hanc questionem: An Ministri Minoritati continuā in Regulam transgressione peccarent, si Novitiis non concederent, nisi duas tunicas sine omni Caputio, ita, ut intelligere vellent, particulam sine tam assutum, quam inassutum, aut affixum, imò omne Caputium excludere? Fortè tunc magis litteraliter portarent duas tunicas sine Caputio. Interim de hoc non disputo, ne, cunctis in contrarium tam apud Observantes, quam Capucinos benè ordinatis, dicatur mihi: *Unde tibi ista sapientia Fili mi?* quia suprà traditiones Patrum tuorum erigis cerebrum contra illud, quod C. ne innitaris. 5. de Constit. dicitur: *Prudentia suæ innititur, qui ea,*

qua sibi agenda videntur, Patrum Decretis præponit. Et instituta Majorum pro lege tenenda sunt, ut habetur C. in his 7. de Confuetud. sicut enim alii, ita & (ni fallor) Observantes Recollectique habent Patres & Majores suos sanctitate præstantes, requirentes modos Musicos, & præceptorum Regulae carmina narrantes, in quorum etiam testamentis, seu circa Regulam traditionibus, nulli Pontificie dispensationi, aut Legis nos ligantibus vulneri innixis, stetit, & in securitate stabit semen eorum, & cum semine eorum permanent bona Regulae.

Num. 16. Hanc quidem Patrum non spernendam traditionem M. Verinus Observantibus & Recollectis in aperto non negat; attamen, plus volens significare, quam dicere, traditionis Observantinæ à Regula deviationem non obscurè variis locis insinuat, atque imprimis Regularem Minoritanæ Familiae habitum, quoad alios contra præceptum Regulae interruptum, usque ad adventum PP. Capucinorum reservat; unde totum suum Mysterium Discurs. Polem. pag. 179. Sacro Landis Sacramentis ita comparat, dicens: *Vides itaque, quod sicut Mater Ecclesia quibusdam suis Filiis quedam Sacramenta, quantumvis ad salutem necessaria, non absolutè, neque semper, sed usque dum prestanda præstiterint, salubriter, ac justissimè negat, ita & ipsa eadem Apostolica sedes gestationem Capucinici habitus, quamvis in Regula Juxta sensum scripto-*

scriptorum Franciscanorum prescripti, Franciscanus cateris, aliisque omnibus, qui Capucini non sunt, aut esse nolunt, interdicendam censuerit, usque dum ad Castra Capucinorum transirent; quarenuis, ut Gregorius XIV. supra cit. ait: qui ex instituto Regule, atque in vita Regularis Observantia uniformes non sunt, etiam habitu distinctione signentur.

Num. 17. Quid de hoc posteriori asserto Gregorii XIV. sentiendum, & quam sinistre hoc ad Observantes & Recollectas extendatur, utpote de quibus Papa nullo modo loquitur, revide suprà N. 13. ubi in contextu Bullæ invenies verum hujus prohibitionis motivum. Ne scilicet, nominatis ibidem Conventualium Reformatis, cum PP. Capucinis in habitu similes apparerent, horum loco eleemosynæ conferantur. Nihil autem invenies de posthumo per M. Verinum piâ nimis confidentiâ asserto Motivo; quasi soli PP. Capucini praestanda praestarent, aliisque veluti non satî dignis, aut dispositis forma illa habitus salubriter, ac Justissimè Apostolicâ prohibitione subtraheretur, usque dum praestanda prestiterint &c. De reliquo Mysteriosam hanc contra alios Minoritas, quantumcunque, etiam seclusâ formâ habitus, ad Regulam Reformatos, si non ex aequo latam, saltèm devotè conceptam sententiam (benevolorum Lectorum cum discretione deferens Judicio) ex professo non tangam. Hoc tamen pro excusatione adje-

rim:

rim; me quidem in Dialogo Contin. pag. 180. determinationem formæ, figuræ, reliquorūmque Minoritani habitūs accidentalium per ipsum Regulæ Conditorem, Juxtaque declarationem Clementis V. & Joannis XXII. judicio Ministrorum relictam, non nisi sub sufficiente disparatis protestatione comparasse Determinationi Materiarum aliquorum Sacramentorum, quam Christus (qui equidem solus Author Sacramentorum est) Ecclesiæ suæ pro temporum diversitate faciendam reliquit. Ast M. Verinus, quasi oblitus suî, & illorum, qui per decem paginas alvante ipse dixerat, pag. suâ 185. me propere vix non factilegum suâ peroratione constituit, & equidem multò altius, quam ego, intonat, & reverè excedit. Ego namque in sola determinationis ratione paritatem posueram, adhuc cum protestatione; ille sinè tali ad ipsa Ecclesiæ Sacraenta suâ comparatione accedit: dum alios præter RR. PP. Capucinos, ità dicit à veritate habitūs prohibitos, sicut nonnulli ab usu Sacramentorum per Ecclesiam pro tempore ex præstandorū defectu arcentur. Ego ibidem non loquebar, nisi de nonnullorum Sacramentorum Materiis, quæ sub propriis suis formis naturalibus de se, & ante determinationem formæ Sacramentalis, merè naturales, & à potestate Ecclesiæ per Christi voluntatem dependentes, proindéque mæ comparationi magis connaturales, & compossibles sunt. Imò dum M. Veri-

Verinus de plano procedit, ego hoc totum,
 quod jam dico, sufficienter ibidem expresseram
 dicens: *Sic Christus Dominus aliquas Materias,*
& formas Sacramentorum [qua tamen majoris
sunt momenti & dignitatis] ita instituit, ut ma-
ximam in iisdem determinandis amplitudinem
reliquerit Ecclesia, V. g. in Sacramento Ordinis
instrumenta & verba, quibus potestas tradita
sufficienter exprimeretur: in Matrimonio Con-
tractum legitimum ita requisivit, ut ejus solem-
nitates, & conditiones etiam essentiales, Ecclesie
determinationi, & ordinationis subjecerit. Cur,
 quæso, meam istam parenthesin protestativam
 omittit *M. Verinus?* Quod mihi insuper veluti
Neoterico docenti pag. 187, ironice objicit: qua-
 si mirum esset Bartholomæum Pisanum in suo
 de Conformatitatibus S. Francisci ad Christum li-
 bro istiusmodi mæ conformitatis habitus ad
 Sacraenta fuisse oblitum; sanè non est adeo
 mirum: quia prælaudatus Pisanus Mysteriosas
 solummodo, & miraculosas conformitates addu-
 cens, non ad meam quæ naturalis est, sed po-
 tiùs ad illam, quam *M. Verinus* pro Capucino-
 rum habitu tam sanctam & Mysteriosam facit
 (si substitisset) reflectere debuisset, quod tamen
 non facit. Interim fateor, quod *Neotericus* sim,
 consequenter hoc nomen, quod majus me est,
 libentissime accepto, etiam usque adeo ab eo,
 qui post me scribens, primo suo publicato scripto,
 quod *Epitomen Historicam* intitulavit, Dialogi

mei

mei de anno 1743. qui ad ipsum nullatenus pertinebat, primus, & usque modò unicus aggressor fuit.

*Examinantur solutiones Objectionum
post Quæst. XI. Discursus Polemici.*

Num. 18. Nonnullas novem Objectionum solutiones, quas M. Verious in Discurs. Polem. per septendecim paginas ponit, jam in corpore Capitis pro occasione tetigimus, reliquas hic non minus verè, quam Charitatib[us] salscipimus examinandas, ne in opella nostra tanta sit brevitas, ut non sit latis, atque ut prudentis Lectoris judicio utrumque, *quod infirmum est, inutile inventiatur*, Sap. 2. cap. Circa primam Objectionis solutionem, de objecta mihi lana Caprina, vide suprà Num. 3. ubi & tangitur alia similis, quam M. Verinus ponit pag. 197. Cæterùm pag. 173. & sequent. Genuinitatem formæ habitūs, & Caputii Capucinici vult eruere *ex eo*, quod saltē unus trium Minoritanorum Ordinum necessariò debeat repræsentare illius habitūs formam, quā Seraphicus Pater inter vivos est usus; & dicere nullam ex istis assimilabilem esse, omnésque à primæva forma recedere, solum dicit, quod possit *insipientia fingere*. Ast (paulò post addit) „ picturæ vel scripturæ hanc „ Epigraphen addere: *Vera habitus Franciscani* „ *forma*: nemo non providè, meritóque causa- „ bitur, eò, quod inde dissensiones, & mura „ mura

„ mura &c. „ unde etiam subjungit , sacram Congregationem talismodi inscriptiones in hunc finem inhibuisse adhortante Apostolo : *ne ponatis offendiculum Fratris*. Item : *videte, ne forēt hac licentia offendiculum fiat infirmis*. Et equidem contentiones , quas primò incepit meus Adversarius , in suo Modesto Verino continuans multiplicat , contra finem S. Congregationis ab ipsomet assertum , utpote contra quem non minùs pugnant asletta personarum , quam Inscriptio-nes Imaginum : *Lex enim habet locum, ubiunque locum habet ratio Legis.* L. fin. ff. de Jur. Confirmationem hujus deinde petit à Doctissimo Patre Pagni , quem propterea *Magistrum Seraphīcum* vocat , esto viri hujus , fortè adhuc viventis , humilitas titulum hunc sibi subtrahens , illuma S. Bonaventuræ libenter relinquit.

Num. 19. *Respondeo* : Imprimis aliud est , habitum aliquem Minoritanum , quoad formam , & figuram esse genuinum illum , quem S. Franciscus vivens portavit , quod variantibus hinc inde terminis M. Verinus pro Capucinis privativè prætendit ; & aliud , habitum aliquem esse illi assimilabilem , quod prætendent omnes tres Minoritanæ Familiae , saltēm quatenus eorum habitus non discordat cum Regula , vel ut Jacet , vel legitimè dispensata . Imò plūs dico : in accidentalibus aliud est , loqui de habitu , quem portavit S. Franciscus ; & aliud de primævo ha-bitu Ordinis , immediatè post dissimilia habi-tuum

tuum initialia , ad uniformitatem reducti indagare: Primum quo ad singulas Minutias nulla Minoritarum Familiarum attingit , nec desuper inquietantur , sicut nec Marianus Carmelitarum Ordo pro punctualiter attingenda S. Eliæ habitus forma sepe perturbat. A secundo autem , scilicet à primævo Ordinis habitu , eadem Minoritanæ familiæ nec totaliter recedunt , nec aliqua illius formam sibi cum majori fundamento appropriat , quam Observantina , idque ex Decreto , seu sententia Pontificia pro Vaticana Statua Cap. 1. N. 3. à nobis adducta. Ubi si per M. Verinum , ex Statuis argumentantem . idem sit robur Codicis , & Statua , pro Observantibus habet utrumque , adeo , ut causâ hac jam finitâ , & satisficiâ , hi non videantur amplius debere desuper inquietari , utpote habentes exceptionem litis finitæ. Judico quidem , quod de ista Decretriya tam factus , quam realis meus Adversarius , nihil sciverit : Ast in Scriptore , & Aggressore praesertim , paria sunt scire , vel scire debere . sicut paria sunt esse , & esse debere , ut inquit Gloss. in L. Qui cum alio ff. de Reg. Jur. & aliunde illa , quæ publicè fiunt , & de Jure existunt , non presumuntur ignorari : ubi impenititia culpa adnumeratur , L. 132. ff. de Reg. Jur.

Num. 20. Quod nulla ex Minoritanis Familii veram , propriam & integrum formam Caputii S. P. Francisci modò ferat , vel habeat ,

Artu-

Arturus suprà cit. ex pluribus deducit Authoribus, quos citat. Quod ipsum, si ad caputum cuiuslibet prudentia foret absurdum, sanè idem absurdum, ante RR. PP. Capucinorum adventum, per saecula Ordinem infecisset, quod nescio, an sit tatis ædificatoriè dicendum. Deinde nec RR. PP. Conventuales omnimodam illam formam prætendunt, nec Recollecti illam habent, aut Reformati, vel ita dicti Discalceati nostri: quia et si eorum Caputium magis quadratae formæ (de qua suprà N. 10.) approximet, retinet tamen adhuc communem cum Observantibus Mozettam ante pectus circumpendentem. Denique, ut probat *Arturus*, nec RR. PP. Capucini possident; quia licet præfatâ Mozettâ, ac repando circa Scapulas eorum Caputium careat, nihilominus inquit, ita acuminatum est, ac pyramidale, ut omnino sit alienum à quadrata forma, quâ S. Franciscus ostebatur in suo Caputio, quod equidem habitui fuit assutum. Unde Hieronymus Cortesius apud eundem *Arturum*, ingenuè fatetur, priscos illos Fratres Minores habuisse acumen aliquanto prominens, non verò adeò pretensum, sicut modò portant PP. Capucini. Idem confirmat Waddingus Tom. I. ad annum 1208. ubi de formâ Caputii S. Francisci sub his verbis legitur: *Religiosissimi Patres Congregationis Capucinorum plus ceteris ad hanc formam accedunt, si non excedunt: nec enim tam oblongum, & acu-*

minatum, ut illi ad Scapulas dimittunt, facile
judicaverint S. Patrem gestasse, Imagines certè
antiquæ, qua Statim à Francisci obitu depictæ
sunt, in multis Cœnobitis Herruria, & Umbria,
non multum prominuisse retro Acumen Caputis,
apertè probant. Unde, si M. Verinus pro ipsis
aliquid petit, habet Authores, quos in hæ
Materia citat, etiam Observantinos pro se; si
autem totum exigit, à nullo hoc accipit.

Num. 21. Interim respe^{ctu} intentionis Re-
gulæ, sicut Sacrae Capucinorum Congregatio-
ni omnia in hoc passu bene, sic nec Observan-
tibus, aut Recollectis aliquid male; Nam (si
non vertiginosè, sed Charitativè loqui velim)
utrimque habent habitum Regularem, id est
per omnia conformem præceptis Regulæ, quæ
Minutias illas (nisi fortè secundum pruritum
alicujus cerebri non satis purgati) non tam cu-
rat, quam Ministrorum discretæ & conscienc-
tiosæ dispositioni determinanda relinquit; id-
que, ut ipsa Regula continet, Secundum loca,
& tempora, & frigidas Regiones. Salva itaque
sunt tam nobis, quam RR. PP. Capucinis sub-
stantialia: Cetera disciplina ac Conversationis
admittunt novitatem, ut inquit Tertullianus de
Virg. Velam. Cap. 1. & S. Bonaventura non
diffitetur Regulæ nostræ in singulis Minutiis
Claritatem, dum in Declaratione ejus ait:
Mors est hujus Regule ex similibus similia intellige-
re, & Minoræ in majoribus applicare. Unde
etiam

etiam Joannes XXII. in Constitutione *Quorundam Extravag.* de verb. signif. postquam in conformitatem Prædecessoris sui Clementis V. (Cujus extravagantem *Exivi*: etiam allegat) declarâisset, dispositionem quoad formam, & figuram tam habitus, quam Caputii eò couuenientius Ministrorum Judicio relinquendam, quò Regula S. Francisci de ejusmodi accidentalibus nihil determinat, siveque ut loquitur, *id ipsum declarare compellimur*,... siveque quodammodo cùdem urgente necessitate, aequitate non impari, vero sensu, veròque id Regula suadentibus intellectu. Subdens deinde suæ declarationis ulteriore rationem, suo modo pulcherrimè discurrit: *Non enim particularium omnium certa potest dari scientia*, neque horum, quæ infinita sunt, contingit fieri disciplinam. *Non ars*, non Regula circumstantias singulas, accidentiaque complectuntur; habent enim in illis Minorē subesse Majoribus, illis obsequi, illisque intendere; non in certis solū, verò etiam in dubiis & incertis præsunt (scilicet superiores) quibus obedient, præsunt, quibus obtemperent, *Disciplinis*, ut illarum finis egregius debitis subsequentium Ministerius subsequatur. Sic judicans cuncta rimatur, & discutit: *Leges applicat casibus*, & Canonum Decreta secernit. Sic moribus aggravans medicum, sic virtus constans in medio, sapientem, prudentemque depositit: ne, si quis regatur, sit appetit, confessim corruat, ut

queris... Sententiae nāmque variantur, ut Capita, & crescit in stolidis opinionibus phantasia.

Num. 22. Motus autem M. Verini in ventilata hīc genuini habitū obscura prætensione, vix capio: in continuis enim dictorum, prætensionūmque variationibus, quandoque remissè, quandoque fervidè nimis incedit; mox quasi nihil, mox veluti omnia petit. Paginā nāmque 166. quasi manū tendens, & cum aliis, satis pacificè causam communem faciens inquit: *Ubi tamen Lectorem premonitum volumus, hīc à nobis non queri, quānam Minorum Congregatio incedat in Vera, & omnimoda habitus Franciscani forma?* sed solū convenientib[us] modis ostendi, quod Capucinis super forma habitū, quo induuntur, nullo modo nihil [vult dicere: nullo modo aliquid] objectivaleat; sed & is proprius, ac verius, quām aliis, ad primavum habitum Minoritanum accedat. Et hoc ex nostro M. Verino sit primum. Pro secundo pag. 178. magis de pectore loquitur, dum Capucinorum habitum aliis prohibitum allegans, subjungit: *Quae prohibitio, non absolute, ut liquet, sed conditionatē petit intelligi, quod nimirum, si quis veriorem, primavosimiliorem, ac (NB.) fuxta Regulam Minorum qualificatum habitum velit assumere, hunc liberē assumere possit, at non nisi sub hac lege, ut cum assumptione talismodi habitus, assumat quoque Capucinici Instituti rigorem.* Ubi, ut Mysterium, capias, debebis unā cum aliis,

etiam

intelligere Recollectos, aliósque in Observantia Reformatos, ideo à verioritate habitus exclusos, quia sese à rigore Minoritani Instituti pariformiter excluderunt; atque veritatem habitus ita exspectâsse redditum rigidioris Instituti, ac si non nisi in hujus concessus fuisse remunerationem; quæ mysteriosè sumpta sonant Boverium afferentem communem Ordinis à Regulari Observantia lapsum: quæ tamen ejus verba à Sacra Congregatione condignâ sunt castigatione prohibita, & in Boverio correcto omissa. Pro abbrevianda tamen responsione ad hoc 2dum, ex clariori antecedente, scilicet ex Decreto Pontificio superius cap. 1. N. 3. relato, non minus dico: *Qui formam habitus, quâ universus Ordo Minorum (ut ex documentis authenticis Pontifici constat) à sua Institutionis primordio usus fuit; & consequenter, qui habitum juxta Regulam satis qualificatum vult assumere, cum assumptione talismodi habitus Ordinem pariter Observantinum debet assumere.* Si hoc meum dictum humilitati Minoritanæ non per omnia congruat, dicto tamen dictum quadrat; & aliunde terminus artis est: *obliquum, si quadras obliquo, tunc est rectum.* Imò, prout Thales Philosophus ait: *Virga curva umbram faciens, rectum facit.*

Num. 23. Nunc, quantum adimum mi Modeste Verine! quæro, quis unquam ex nostris RR. PP. Capucinos (quorum ego honorem

debitum rationabilius observo, quam tu) quis inquam ipsis irregularitatem sui sacri habitus objicit? quis detuper aliquando quæstionem primò movit? an tibi forte adversarios singis, ut disceptare possis? ego saltèm (adduc alium) in nullo meorum Opusculorum contra habitum Capucinorum ullatenus pugnavi; sed solùm contra aggressores defensivè me habendo, Observantinumque habitum justificans, argumenta contraria ad requisitionem solvere studui. Sane, non Observans aliquis vel Recollecta, sed Recollectina duntaxat forma habitus. Muta & innocens, Boverium olim pertraxit, ut aliquando in *Tractatu speciali part. I. N. I.* ita contra Observantes peroraret: *Errorem eorum, qui quadrati* (id est pyramidalis, prout ubique pro eodem sumit) *Caputii formam à B. Francisci institutione alienam singunt, esse tam apertum, sit nullà tergiversatione, aut ratione honestari queat.* Insuper addebat: *novum, ac planè intollerabilem sibi ad praesidium errorem adsciscunt, quo omnem penè B. Francisci honorem depascunt, ac Minoritana Religionis gloriam in discrimen adducunt.* Dices profecto pyramidale Caputium pro ipsa Minoritana Religione sumi. Tandem N. g. addit: *En quales violari habitus anfractus incident, qui Scapulare & lunulam* (id est Mozettam; seu Collare Observantino-Recollectinum) *cum Novitiorum, & Professorum habitu conjugunt; bona latinitas.* Atque hæc

hæc erat aliquid Boverii contra Observantes, Recollectosque prolata, ex dictoria ieveritate, sententia. Modestus Verinus post suum P. Hierotheum, verba quidem, sed non sententiam mutavit; unde per ipsos forma Observantina est solum *contra preceptum Regulae*, contra *habitū Minoritani essentialia*, atque etiam alia, quæ nostro *Verino* luggerit sua *Modestia*. Forma Observantina juxta ipsum proinde irregularis est, ac ex dispensatione solum Apostolica: non aliter, ac si ab accusatione Observantium suam deberent illi mutuare panegyrin, qui aliunde perquam laudabiles sunt, neque indigent gloriari in illo, in quo, nihil ad perfectionem faciente, etiam imperfectiores, & peccatores gloriari possunt. Sint illi, ut omnium, sic etiam Observantia confessione præclari, sint præclarissimi: equidem *nihil est tam præclarum, aut tam magnificum, quod non moderatione semperari desideret*; ut inquit *Valerius Max.* si Observantes, & sùt in hâc Patria sunt) Recollecti, ex sua Observantia præcepti Regulae ad habitū formam spectantis, similem laudem non mereantur acquirere; retineant saltē illam, quam secluso Impugnato- re habent; nam, ut ait Plinius *ad d.*: *Multò difformius est amittere, quam non acquirere laudem.*

Num. 24. Si noster [S. T.] Modestus Verinus esset Religiosus, & quidem Capucinus,

deberet suo modo percipere gaudium acciden-
tale ex Societate Observantina, seu ex eo, quod
nedum ipse, ejusque Religiosissima Familia,
sed & Corpus Observantium, ex Recollectis,
aliisque Reformati insimul coalescens, ex si-
mili professionis obligatione observaret Regu-
lam S. Francisci ad litteram, id est recusatâ, &
exclusâ omni dispensatione Pontificiâ. Ast ob-
stare videtur defectus Observantinus, si non
quoad alia, saltè quoad præceptum Regulæ
circa habitum Professorum disponens; unde
pag. 180. (ut urgente Verina Modestia nos à
peccato excuset) Summorum Pontificum, sig-
nanter Joannis XXII. in Extravagante *Quorun-
dam &c.* de plenitudine potestatis Indulgen-
tiā in nostrum favorem adducit, tanquam,
qui Ministris indulsisset, ut de habitu & Capu-
tii Longitudine, Latitudine, Grossitie, & de
alius eorundem accidentalibus formis judicare, ac
disponere possint. Ex quibus (subjungit) sane
nihil aliud colligi, inferrique valet, nisi, quod
Caputii habitui inassatum portantes, salvâ id
conscientiâ faciant, videlicet ob indulgentiam ali-
orum Pontificum; nullo autem modo sequitur,
quod assutura Caputii ad habitum, à sola supe-
riorum, & non à Regula dispositione dependeat.
Quæ tamen dicta sua (quantumcunque pro Re-
collectis doctrinalia) ut ipsem iterum de-
strueret, in Resp. 2da (postquam, ad pristi-
num Spiritum rediens, assuram Caputii Mi-
norita-

noritano habitui essentiale denuò inculcasset, atque absolutionem iterum retraxisset) immedietè subjugit: *Ex quibus admodum probabilius sentire & concludere licet; quod suprà memoratus Pontifex de Minoritani habitū & Caputii accidentalibus formis in Extravagante sua loquens, de assūtura Caputii ad tunicam, sive de Caputio quā assūto, nec quid disponat, nec superioribus quid praestatis id alterandi concedat; eò quod Caputrum, quā tale, id est assūtum, inter Franciscani habitū accidentalia, de quibus solis Pontificia constitutio loquitur, referri non queat, sed verè sit, ac reputari* (NB. non addit: ab omnibus) *debeat ejusdem habitū altera pars essentialis per Regulam praeceptivè prescripta.* En breve gaudium! dum nostra non assūtura Caputii declaratur ob Pontificiam Indulgentiam à peccato libera, & equidem simul nobis inculcatur, Pontificem circa illam nihil superiorum dispositioni concessisse: misera proinde foret, & semper futura vaga Recollectorum conscientia, si ad Modestī Verini deberet se vaga dogmata regulare: nam, ut inquit Plautus: *non liberat podagrā calceus.* Interim Observantes, Recollectique non cum Jona sub herderæ foliis inquieti; sed cum Elia sub umbra Juniperi sedent securi.

Num. 25. Imprimis ad hasce repetitiones ego pariter de assūtura repetens adduco authortatem P. Marchantii, viri, quem ob doctrinam

nam cum pietate, & Zelo Regulæ conjunctam Summi Pontifices suis litteris specialiter hono-
rârunt, quémque nativa ejus Recollectina Pro-
vincia suum Reformatorem nominat ; hic
in sua *Expositione Reg.* Cap. 1. tit. 3. q. 1. quæ-
rens an tunica professorum cum Caputio requi-
rat necessariò Caputium sibi assutum ; Re-
spondet : ex vi verborum Regula necessariò non re-
quirere, quia nullum est verbum, quod illud aper-
te insinuat : gestare enim tunicam unam cum Ca-
putio, nihil aliud est, quam simul cum tunica ha-
bere Caputium, si non assutum, saltè morali-
ter annexum, ut forma quidem artificialis habi-
tus, qua ex natura sua requirit aliquam conjun-
ctionem, sed non necessariò aliquam unionem, sive
realē conjunctionem. Neque ullus alius, quan-
tumcunque conscientiosus antiquus Regulæ Ex-
positor ipsi assignatur contrarius, nisi forte ci-
taretur finistrè, ut Hugo de Dina suprà. Idem
Marchantius in fine q. 2. adjungit : aliqui hic
(utique Boveriani) necessitatem assutura volue-
runt probare ex eo, quod Regula dicat : habeant
unam tunicam cum Caputio : Vim facientes in
propositione (cum) quasi assuturam indicaret.
Verum hoc nimis quæsitus est : nam in testamen-
to dicitur : eramus contenti unâ tunicâ &c. cum
Cingulo & braccis: nemo tamen tunicam cum
cingulo, & braccis congruè assuendam afferet.
Cum quo ego proinde locutus fui in *Dialogo*
Contin. Etiam reducens multiplicandas circa for-
marum

marum Minutias quæstionum ambiguitates ad lanam Caprinam: Nam & idem conscientissimus P. Marchantius, totius quondam Nationis nostræ Germano - Belgicæ Reverendissimus Superior, ac Commissarius Generalis, quæstionem suam de formâ & figura Minoritani habitus ita concludit *Utrumque verò modum Caputorum approbat Ecclesia pro Regulari Observantia, & Congregatione Capucinorum respectivè. Disputatio itaque tota de lana Caprina est; ignorat mibi Lector & hanc temporis facturam.*

Num. 26. Nunc ascendam magis explicitè ad contradictiones, vel saltēm doctrinæ Verinæ obscuritates. Ut suprà prætenditur, per Indultum Joannis XXII. in Extravagante: *Quorundam: habetur, quod Caputum habitui inassum portantes, salvā ed conscientiā faciant: quia hic Pontifex Ministerorum id arbitrio indulget.* Et parum infrà Modestus docet, Joannem XXII. quoad assuturam nihil disposuisse, aut superioribus quid potestatis eam alterandi concessisse; ergo in hoc assutionis præcepto dispensatus, & non dispensati: salvā conscientiā facimus & simul contra permanentem Regulæ obligationem peccamus. Forte, ut Modestus Verinus eò securius unam nobis veritatem diceret, dicit opposita, quorum unum (saltēm post Decretum Dei) est determinatè verum. Interim S. Augustinus Epist. 166. inquit: *Qui docet repugnantia, non tantum errare non definit, sed*

errorem conjungit cum veritate, qui utique error est gravissimus. Concussionem suorum dictorum videtur quidem M. Verinus aliqualiter advertisse; unde, postquam conscientiam Observantinam in sat claris terminis per *Indulgentiam Joannis XXII.* exonerasset (meditans illud, quod immitiate post dicere volebat) à Joanne XXII. nonnihil declinans sit: *videlicet, ob Indulgentiam aliorum quorundam Pontificum;* quos tamen non nominat, ut ex determinato faceret confusum. Alios sanè nominare non potuisset, quam Nicolaum III. & Clementem V. quos Joannes XXII. allegans, suámque illorum Declarationibus addens dicit: *Nos post horum super intellectu, & Observantia Regulae Ordinis Fratrum Minorum Declarationes salubriter editas, solidas quidem, claras, & dilucidas, multaque maturitate digestas, Nostras, Domino favente, indubias ipsorum Praedecessorum Declarationibus Declarationes adjungamus, sicque dies diet eructe verbum, & nox nocti scientiam manifestet: ne perperam paucorum dicti Ordinis Fratrum (quod absit) insciitia recta ipsarum Declarationum verba convertens in devium, illaque suis (eis profecto contraria) accommodans sensibus, ingrata Deo, superioribus consumata, praefato Ordini detrahens, odiosa Confratribus, unionem scindens (si valeat) reddatur, ac grave in populo scandalum allatura &c.*

Num. 27 His ex allegata illa Constitutione *Quorundam* litteraliter adductis, non nulla

post-

postmodum adhuc superraddam, ut cuilibet Lectori cordato appareat, Joannem XXII. nec per illam Constitutionem in præcepto Regulæ dispensasse, nec quidquam ultra litteralem Regulæ intellectum indulssisse: cùm nullibi in illa porestatis sua plenitudinem alleget, aut ullam faciat mentionem de *Indulgentia* aut de aliquo hujus verbi significato affini: Indulgentis enim non sunt hæc verba: „Ad Dei laudem, S. Francisci ciscī præconium, ejusque præfati Ordinis pacem, consolationēmque fidelium... infra scriptas Declarationes, Commissiones, Ordinationes, & præcepta, quæ inferius inseruntur, duximus injungenda. Imprimis, cùm dicatur in Regula, quod illi, qui jam promiserunt Obedientiam, habeant unam tunicam cum Caputio, & aliam sine Caputio, qui habere voluerint: Item, quod Fratres omnes vestimentis vilibus induantur: & super prædictorum verborum sensu à præfatis Prædecessoribus nostris Nicolao, & Clemente, Declarationes, ut prædictitur, Limpidæ emanarint; dictusque Clemens hujus vilitatis judicium Ministris, Custodibus, seu Guardianis Ordinis prædicti duxerit committendum, eorum super hoc conscientias onerando; nec ob hoc in quibusdam ex Fratribus antedicti Ordinis, volentibus plus sapere, quam oporteat sapere, novarum adventiones ambiguitatum cessavere quam plurimæ;

,, rimæ : vel non omnino non vetustarum re-
,, plicatio quæstionum , tam videlicet super
,, longitudine & latitudine , quām grossitie
,, & subtilitate , forma & figura Vestimento-
,, rum ipsorum . Quinimo adeo hujusmodi ad-
,, inventiones , & quæstiones propriâ excrevē-
,, re licentiâ , ut ex eisdem Fratribus aliqui
,, propterea habitus curtos , strictos , inusitatos ,
,, & squalidos , novitate plenos , ac dissidii non
,, ignaros , cum à communitate Ordinis discre-
,, parent , assumerent ; nec eos ad Ministrorum ,
,, Custodum , & Guardianorum mandatum , re-
,, quisisti deponerent , nec alios , prout ejusdem
,, Ordinis Communitas deferebat , habitus jux-
,, ta eorundem Ministrorum , Custodum , &
,, Guardianorum arbitrium ducerent reassu-
,, mendos , dicentes , in hoc eorundem Præ-
,, latorum suorum non fore parendum arbitrio ;
,, cùm & siuum sic despectum , & Regularem ,
,, & Cruciformem assenserent . Cæterorumque
,, verò superfluum habitum , irregularēmque
,, censerent : nec huic eorum opinioni præfati
,, Clementis declarationem sèpiùs repetitam
,, obesse : nam , licet Ministris , Custodibus ,
,, & Guardianis præfatis vestium vilitas detur
,, in illa Judicium ; tamen inibi consequenter
,, adjungitur : ità tamen , quòd vilitatem in ves-
,, tibus fervent : præsertim , cùm & in Decla-
,, ratione prædicti Nicolai dicatur , quòd sem-
,, per in eisdem Fratribus , & eorum actibus
,, pau-

„ paupertas sancta reluceat, prout ipsis ex eo-
rum Regula invenitur indicata; ac in Consti-
tutionibus ejusdem Ordinis Generalibus ca-
veatur (ut afferunt) quod in omnibus, quae
ad habitum Fratrum spectant, reluceat sem-
per asperitas, vilitas, & paupertas. Unde,
cum nec paupertatis, asperitatis, vel vilita-
tis oblatæ per Ministros, Custodes & Guar-
dianos vestes existerent, nec ipsorum supe-
riorum Ordinis sui in deponendo vestes,
quas gererent, nec in reassumendo, quas
darent, sequi Judicium nullatenus teneban-
tur.

„ Generali Ministro, & Cæteris Fratribus,
qui pro Communitate ejusdem Ordinis ad-
erant, suis rationibus, quas brevitatis cau-
sa omittimus, contrarium afferentibus ex
adverso, prout hæc, & alia hinc inde coram
Nobis & eisdem Fratribus nostris scripto
lecta, verbisque fuere proposita; ac etiam
coram aliquibus ex Fratribus nostris prædi-
ctis, super hoc deputatis à Nobis, præser-
tim per aliquos ex Fratribus dicti Ordinis,
qui in prædictis Communitatibus adversaban-
tur, fuérunt eadem pluries repetita. Quo-
circa nos seriosius prædictis rationibus audi-
tis, & aliis, illisque pleniū intellectis: Volen-
tes perpetuum præfato finem dare Negotio,
de prædictorum Fratrum nostrorum consilio
declaramus, ac dicimus; quod, cum, si
eis

„ cut supra prætangitur, dicatur in Regula,
„ quod Fratres omnes vestimentis vilibus in-
„ duantur; & cum vilitatem hujusmodi ve-
„ stium, tam habitus, quam interiorum tu-
„ nicularum, illam præfatus Clemens intelligi
„ debere decreverit, quod secundum consue-
„ tudinem, vel conditionem debeat, quantum
„ ad Colorem panni, & pretium vilitas meri-
„ toria reputari; atque consequenter hujusmo-
„ di vilitatis judicium, Ministris, Custodi-
„ bus, seu Guardianis prædictis, ipsorum su-
„ per hoc conscientias onerando, duxerit
„ committendum (prout in ejusdem Clemen-
„ tis litteris super hoc confessis pleniū conti-
„ netur) eorundem Ministrorum, Custodum,
„ seu Guardianorum eodem modo Judicio est
„ relictum.

„ Nos nihilominus præfatorum Ministro-
rum, Custodum, seu Guardianorum Judi-
cio præsentium Authoritate committimus
determinare: Videlicet arbitrari, & præ-
cipere, cuius longitudinis, latitudinis,
Grossitiei, & subtilitatis, formæ, sive figu-
ræ, atque similium accidentium, esse de-
beant tam habitus ipsorum, quam Caputia,
atque interiores tunice, quibus Fratres dicti
Ordinis Minorum induantur. Ac insuper
cuius, quantæque vilitatis indui eos ipsis
vestimentis oporteat; & an in vestimentis
hujusmodi secundum Regulam & Declara-
tiones,

tiones eorundem Prædecessorum nostrorum,
 & præfatas Ordinis Constitutiones reluceat
 asperitas, Vilitas, & paupertas; Utrum vel
 quantum ad Colorem, pretium, Vilitatem,
 paupertatem quoque, ac cætera accidentia
 suprà dicta Fratres vestimentis vilibus in-
 duantur, ut debent; super quibus eorun-
 dem Ministrorum, Custodum, seu Guar-
 dianorum conscientias oneramus. Statuen-
 tes, & districtè præcipiendo mandantes,
 quatenus in prædictis, & aliis similibus,
 eorum arbitrium, determinationem, sive
 Judicium, Generalis quidem in totius Or-
 dinis, Provincialium verò in Provinciarum,
 Ministrorum, Custodum, & Guardianorum
 administrationibus, Custodiis & Guardia-
 niis, sive Conventibus Ordinis Memorati
 commissis, eisdem Fratres omnes, & singuli
 sequi omnimode, eisque parere per omnia
 teneantur. Ac insuper, quòd illorum se-
 quendo arbitrium, determinationem sive
 Judicium, illisque parendo, nec sint, nec
 dici possint, vel debeat, nec ipsi se ipsos
 autument suæ Regule, vel Constitutionum
 Ordinis transgressores: Maximè, cùm
 (NB.) nec expresse, vel determinatè in præ-
 dicta Fratrum Minorum Regula, vel decla-
 rationibus antedictis, quantæ longitudinis,
 quantæ latitudinis, quantæ Grossitiei, vel
 subtilitatis: qualis formæ, qualisve figuræ

„ hujusmodi debeant esse vestes ; sicut nec
 „ qualis , quantæque Vilitatis eas esse opor-
 „ teat exprimitur in eadem. Sicque quodam-
 „ modo eadē urgente necessitate , æquitate
 „ non impari , vero sensu , verōque id Regu-
 „ lœ suadentibus intellectu , ejusdem Clemens
 „ inhærentes vestigiis , præfatorum Mini-
 „ strorum , Custodum , seu Guardianorum in
 „ prædictis , harūmque similibus [*Hic posse*
 „ *subintelligere de assutura , vel alia afflictione*
 „ *Caput ad habitum*] fore Judicium declarare
 „ compellimur , illaque illis , ut prædictitur ,
 „ committere innitamur : Non enim particu-
 „ larium omnium certa potest dari scientia ,
 „ neque horum , cùm infinita sint , contingit
 „ fieri disciplinam . Non ars , non Regula
 „ circumstantias singulas , accidentiāque com-
 „ plectitur &c. Et suam Declarationem con-
 „ cludens , sīnè Mentione ulla *Indulgentia* , ait :
 „ Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam
 „ nostræ Declarationis , Commissionis & Confi-
 „ tutionis , Mandati , Monitionis & Evacua-
 „ tionis infringere &c.

Num. 28. Ubi notandum , quòd sicut Cle-
 mens V. déclaraverat , Judicium de vilitate ve-
 stimentorum (utpote , quod pro varietate Re-
 gionum ita variuin est , ut , quod E. g. in Indiis
 reputatur vile , in haec Patria molle , & pretio-
 sum habeatur) sic subortis ex post aliis quæstio-
 num ambiguitatibus Joannes XXII. idem ex-
 tenderit

tenderit ad formā, & figuram, aliāque acci-
dentalia tam habitūs, quām Caputii. Sicut
ergo Clementis V. & Nicolai III. super Regu-
lam Declarationes à nemine dicuntur relaxati-
væ, dispensativæ, aut indulтивæ. sed Littera-
les, ex visceribus Regulæ, & intentione Con-
ditoris ejusdem extractæ; Ità etiam de Constitu-
tione hac Joannis XXII. omnino tenendam
est, præsertim cùm uterque tam Constitutionum
Ordinis, quām Regulæ Observantiam
inculcans, Ministrorum conscientias non am-
pliat, sed prætermisis Indulgenciis desuper one-
ret. Unde Alvarus Pelagius lib. 2. de plan-
du Ecclesiæ art. 61. tenet, quod Observantes
Declarationes, etiam Regulam ipsam Obser-
vent, adducitque rationem ex c. expediāt. Ex-
tra. de Elect. Non enim declarationes nova Re-
gula sunt, sed illam declarant. Ubi insimul ob-
serva, dictum Pelagium tam fuisse suæ Regulæ
Zelosum, ut loco citato id (quod nonnulli,
pro Zeli excessu forte non immerito sumunt)
edixerit, quod nulla unquam Fratri Minorī
major proprietas sit, quām contra Regulam pri-
vilegiorum, utpote (addit) quæ est lex privata,
dist. 3. c. Privilegia. de Verb. signif. Quod
equidem hic non adduco, quasi defendere vo-
leas, sed ut ex hoc innotescat, quid vir ille
de Declarationibus senserit, qui & illas sape
citat, & ipsi Joanni XXII. contemporaneus,

gratissimus, ab ipsoque Episcopatu sylviensi donatus fuit.

Num. 29. Concordat etiam cum hoc Hieronymus à Politio Sacrae Congregationis Capucinorum superior Generalis, qui Prælud. 3. in Regulam. Num. 7. inquit : *Observandum tamen est, quod Declarationes Nicolai III. Exiit, qui seminat &c. & Clementis V. Exiit de Paradiso &c. & ea, quae est Joannis XXII. Quorundam exigit &c. præ ceteris sunt tenenda, & observanda : tum, quia quidquid boni est in prioribus, majori est claritate positum in Declarationibus trium predicatorum Pontificum... Quoniam penes Pontifices residet Authoritas declarandi Regulas, & obligandi earum professores ad servandum illas secundum eorum Declarationes. Et Doctorum Expositiones eatenus obligare possunt, quatenus ipsorum Pontificum Declarationibus sunt conformes. Nec mirum, quod aliquæ sint Doctorum Glossæ, quæ cum horum trium Pontificum Declarationibus non convenient: quia eorum aliqui, ut puta quatuor Magistri, S. Bonaventura, Hugo, & alii ipsam Regulam sunt interpretati ante horum Pontificum Declarationes; & ideo mirum non est, si in aliquo particulari aliter sunt locuti, quam postea à dictis Pontificibus sit expostum... Fuxta dictorum Pontificum Expositiones, & Glossas Doctorum, cum illis concordantes, Regula observanda est, quod utique vivere est secundum Regulam puritatem, ad mentem Conditoris.*

Num. 30.

Num. 30. Hęc sola M. Verino (casu quo Capucinus foret) sufficere debuissent ad hoc, ne Constitutioni *Quorundam*, de suo capritio, non satis *Modesto*, & vero, adjiceret *Indulgentiam* contra, vel præter litteralem sensum, & intentionem Regulæ. Adversus similes noster Gilbertus Nicolai (qui postquam novam Regulam sororibus Annuntiatis pro imitatione virtutum B. Mariæ Virginis scripsisset, Confirmationemque ejus à Summo Pontifice obtinuisse, Pontifice nomen imponente, *Gabriel Maria* deinceps vocatus est) in Tract. *Veritas omnia vincit.* part. 2. Radio 2. exclamat: *O quoniam sunt, qui putant se intelligere Regulam ad litteram, seu litteraliter, quam solum intelligunt Grammaticaliter!* ubi adjecterim, quod sensus *Grammaticalis* attendat nudam significacionem dictionum, quae ab aliis dicitur littera Donati, sive Prisciani, qui Grammaticæ Principes fuerunt. *Litteralis* insuper Intentionem loquentis connotat. Stante autem veritate sensu litteralis, potest Grammaticalis esse falsus. Sic Joan. 1. dicit Joannes: *Propheta non sum;* si grammaticalem sensum attendas, Joannes vere Propheta erat, quia futura predicebat, & sic propositio falsa erat: secundum verò litteralem sensum propositio verissima est, quia iste Propheta, quem intendebat, non erat, scilicet Christus. Item, *ipse est Elias,* grammaticaliter falsum est; quia *Elias* personam

individuam Eliæ Prophetæ significat, Litteraliter autem verum est; quia in intentione dicens Joannes Elias erat, utpote, qui in spiritu & virtute Eliæ Praecursor venerat. At quid hæc loquor Modesto Verino, qui verba non tam Grammaticaliter nimis intelligit, quam ipse singit, & Constitutionibus de suo Cerebro adjicit?

Num. 31. Quidquid sit mi Modeste Verine! si non jam videris, saltē videre potuisti, Pontifices quoad Collare, seu Mozettam, Caputūmque inassūtum non dispensāsse; quod præsertim tenendum est respectu Observantium, qui Dispensations, seu contra quodcunque præceptum Regulæ *Indulgentiam* nunquam admiserunt: *In rito autem Beneficium non datur.* ex l. 69. ff. de Reg. Jur. Unde, si per te absolutum contra prædicta stet præceptum Regulæ, dic rotundè, Observantes, & Recollectos continui reos esse in Regulam peccati, quod post tuam, Hierotheanam, Boverianamque tam seriam monitionem, vix poterit amplius esse materiale: in me dic illud cum contumacia conjunctum; Nam modò tu stes tuæ de manifesto Regulæ præcepto sententia (agnoscimus & amplectimur præceptum, quoad essentialia Vestimenti, secundum Declarations Pontificum esse æquipollens, & obligare nos, sub mortali) quoad nullitatem, seu existentiam dispensationum, sive Regularium Indul-

gentia-

gentiarum respectu Observantinæ partis res salva est. Si mihi non credas, neque Capitulis nostris Generalibus, contra quæcunque hujusmodi privilegia dispensativa protestantibus fidem adhibeas; noli saltēm esse incredulus, sed fidelis Summis Pontificibus: inter quos Innocentius XI. in Bulla: *solicitude Pastoralis*, de Anno 1679. Sic loquitur prout etiam retuli in Dialogo pag. 198.

Num. 32. „ Cūm itaque, sicut accepimus, „ in pluribus Capitulis Generalibus Ordinis „ Fratrum Minorum S. Francisci de Observan- „ tia nuncupatorum, & novissimè in Valleso- „ litano, quod An. 1670. celebratum fuit, „ unanimi omnium Fratrum consentu declara- „ tum, & protestatum fuerit, in nullo Regu- „ lā corundem Fratrum Minorum Præcepto, „ eatenus cum Fratribus Minoribus de corpore „ Observantiae, sive Observantes, sive Re- „ formati, sive Discalceati, sive Recollecti di- „ cantur, dispensatum fuisse, nec ipsum Ob- „ servantiae opus ullam unquam admisisse, vel „ admittere dispensationem in Regula, sed „ potius illam velle observare juxta sum. Pon- „ tificum Declarationes... Nos pro majori hu- „ jus Protestationis firmitate, &, ut in Or- „ dine prædicto status, & Regula Fratrum „ Minorum purè observetur, singulisque Fra- „ tribus prætextus eam transgrediendi præclu- „ datur; eandem Declarationem, & protesta- „ tionem

„ tionei suprà expressam , harum serie Au-
 „ thoritate Apostolica confirmantes . . . Declara-
 „ mus , omnes & singulos , de corpore Obser-
 „ vantiae dicti Ordinis , teneri in conscientia
 „ obsevare Regulam Fratrum Minorum S. Fran-
 „ cisci , & præcepta ejus à felicis recordatio-
 „ nis Nicolao III. & Clemente V. exposita , &
 „ numerata (NB. inter hac etiam dicitur & as-
 „ signatur tanquam præcepto formali equipollens
 „ illud , quod Regula dicit circa Vestimenta No-
 „ vitiorum & professorum) ac propterea omnes
 „ & singulas Dispensationes , concessiones &
 „ consuetudines , si quæ contra præmissa in
 „ corpore Observantiae Ordinis prædicti repe-
 „ riantur , motu , scientiâ , deliberatione , &
 „ potestatis plenitudine paribus eorundem , te-
 „ nore præsentium revocamus , cassamus , irri-
 „ tamus , & annullamus , viribusque & ef-
 „ fectu penitus evacuamus . „ Adjicerim hic
 illud , quod in primo meo Dialogo de Anno
 1743. una cum verbis illius Bullæ dixeram ,
 quódque D. Modestus Verius legere , sibique
 ad cautelam applicare potuisset , scilicet : Ecce
 quomodo haberemus , quod habere nolimus ? quo-
 modo morsu , vel potius sibilo à scriptore aliquo
 dispensati proclaimari deberemus , cùm Dispensa-
 tionis usum Nobis constanter dicamus illicitum per
 professionem , per Bullas Pontificias , ipsaque Ca-
 pitula Generalia exclusum ?

Num. 33. Si aliam antiquiorem, & equidem Constitutioni *Quorundam*. Per tria saecula posteriorem, in quā & nominaliter cassantur Indulta, & particularius circa habitum quæstio est, videre desideras, Ecce de Anno 1625. ac die 1. gbris Urbanus VIII. in Bulla *Sacra Sanctorum*. Observantibus directe, tibi autem M. Verine, ut ita loqui desinas, indirecte sic loquitur: „**Nos**, ut Fratres prædicti in tamen laudabilium operum exercitio eò alacrius per severent, ... providere, nec non felici eorum statui, quantum Nobis ex alto conceditur, considerare volentes, nec non statutis, & per eos in Capitulo Generali proximè præterito Decretis inhærentes, ac supplicatiōnibus etiam dilecti Filii Bernardini de senis, ejusdem Ordinis Ministri Generalis, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: quod de cætero perpetuis futuris temporibus, omnes, & singuli ejusdem Ordinis Professores, juxta dicti Ordinis Regulam, nec non Declarationes à pīx memorī Nicolao III. & Clemente V. Romanis Pontificibus, Prædecessoribus nostris, desuper emanatas, cum Calepodiis, seu sandaliis apertis dunt taxat incedere teneantur; neque alio pedum operimento, sive panneo, sive alterius cujuscunque materiae existat, absque licentia uti possint. Quodque (NB.) integrum eorum Professorum vestimentum duabus tan-

» tūm tunicis constet , & constare debeat ;
 » unā scilicet cum Caputio , & aliā sinē Caputio ,
 » ut eadem Regula prescribit ; neque ejusdem
 » Ordinis Professores tertīā tunica , seu Ca-
 » misiā stamineā , aut interulā , sive sudariis ,
 » vel aliā quācunque re , contra ejusdem Re-
 » gulæ tenorem , etiam in vim concessionis
 » fel. record. Julii Papæ 2di etiam Præde-
 » cessoris nostri , sive alio quovis prætextu , &
 » ex quacunque causa ullo modo uti valeant ,
 » Apostolicā autoritate tenore præsentium
 » perpetuò statuimus , atque declaramus ;
 » prædictamque Julii Prædecessoris nostri (NB.
 » hic præter duas tunicas Camisiam Stamineam ,
 » vel sudaria , quæ rāmen Ordo , seu Capitulum
 » Generale nunquam voluit admittere , indulse-
 » rat) & quascunque alias concessiones , sive
 » indulta , tam per litteras Apostolicas , & mo-
 » tu proprio , quād vivæ vocis oracula , &
 » aliās quomodolibet concessiā , eidem Regu-
 » lę quomodolibet contraria , abrogamus .
 » Decernentes præsentes litteras semper , &
 » perpetuò validas , firmas , & efficaces existe-
 » re , & fore , suosque plenarios & integros
 » effectus sortiri , & obtinere , ab omnibus
 » dicti Ordinis Fratribus inviolabiliter obser-
 » vari , sīcque & non aliter , &c. ,

Num. 34. En mi M. Verine nolens volens ,
 habes Recollectos cuīn toto Cōpore , quod de
Observantia vocatur ; omnibus indultis , quo-
 modo-

modolibet Regulæ detaganibus, nudatos; ne autem deinceps illos Regulæ transgressores ad publicum proclames, rogo, ut in hac Bulla, Confratribus meis, ad memoriam reducta, & tibi simul ob oculos posita, specialiter reflectas ad illa verba, scilicet: *Unā tunicā cum Caputio, & alia sine Caputto, ut eadem Regula prescribit.* Ubi, si Papa, cum te M. Verino, atque cum tuo R. P. Herotheo, fuisse ejusdem sententiae, protectō particulam [cum] assuturam indicare declarasset, & formam Caputii Observantinam, quæ tibi irregularis, & ex indulto duntaxat Pontificio tolerabilis est, quamque Urbanus VIII. toties ante oculos habebat, quoties ex nostris Franciscanum videbat, utique reformasset, in modo; omnia contra litteralem sensum, seu intentionem Regulæ indulta cassans, & annihilans, reformare debuisset. Interim, per me licet, inter nostrum (S. T.) Modestum Verinum, interque Sunnum Pontificem queratur, quis eorum videatur esse major; vel (si hoc forte aliquid, ut etiam mihi, male sonet) quisnam eorum beat alterius sententiae accedere; vel quis praeterea Regulari Observantiae magis invigilet: non dubito equidem M. Verinum (saltē, si de Ordine foret) reflectere ad illud, quod supra citatus Gilbertus Nicolai in Tractatu, qui intitulatur: *Praefor Bonus.* pag. 1. in Prologo dicit. scilicet, S. Franciscum Obligasse Fratres ad tres Veluti Ordinis Fundatores, quibus obedire debent: ad

Chri-

Christum in Evangelio suo loquentem: ad Honorium Christi Vicarium (idem est de Successoribus) Regulam approbantem, & declarantem: & ad S. Franciscum pro universis Fratribus loquentem. Et addit: qui in omni dubio Regula sua non aspicit ad istos tres, cactus est, & non videt ea, ad quae se obligavit. Hicce proinde tribus, Recollecti, & quicunque alii ad Corpus Observantinum spectantes (de Religiosissima Capucinorum Familia idem sentio) sese donant; etiam si hodie M. Verinus novam ederet Declarationem Regulæ, atque extra hos novam sibi voluerit fingere obligationem in præceptis, quorum ad peccatum obligantium tot agnoscimus, quot Romani Pontifices ex Regula nostra Seraphica Nobis eruerunt, & suis Declarationibus ob oculos posuerunt; nullum autem inter illa præcepta adhuc vidimus de assitura Caputii ad habitum, multò minus de forma pyramidali, quam equidem in Sacra Capucinorum Congregatione veneramus propter illos, qui illa de consensu Ecclesie, sub cuius umbra omnes secuti sedemus, Sanctè, imò Sanctissimè utuntur, particularium Spirituum Spiramina aliunde non curantea.

Num. 35. Interim mi M. Verine, seu sub larva hujus nominis Anonyme! non dimitam te, quantum ad hoc . nisi dixeris mihi adhuc usum. Cur quæso loco tuo supra citato tam timide procedens, non retulisti apertius in Joannem XXII, substantialem illam habitus Minoritani mu-

tatio-

rationem, sed cum illius in Observantiam regularem *Indulgentiā* contentus, deflexisti ab eo, quod
 tuus R. P. Hierotheus in *Epitome sua Historica* pag.
 § 6. ex Familiari suo *Bonito Combasson* nobis tradi-
 derat dicens: „Cæterū quando Minorum Ordo
 .. aliam tui habitū, seu Caputii formam assum-
 .. pserit, audi Bonitum Combasson in vera &
 .. lucida (ex oblivione omisit addere à *Sacra*
 .. *Congregatione absolute prohibita*, de quo po-
 .. stea) Explicatione: Statū Religionis Ser-
 .. phicæ verò similius sic differentem, „ & ecce
 hanc ab eo ibidem mutuat sententiam: „ Prima
 .. antiqui habitū, & Caputii oblongi, & py-
 .. ramidalis, absque Mozetta, sive Scapulari
 .. tunicæ griseæ consuti forma derelicta fuit
 .. tempore Papæ Joannis XXII. de speciali ip-
 .. sius mandato. Erat enim tunc temporis, ut
 .. in Ecclesia, ita & in Ordine Minorum Schis-
 .. ma maximum: duo scilicet Papæ, sed unus
 .. Antipapa Nicolaus V. dictus, duo Romano-
 .. rum Reges & Imperatores, Ludovicus Baya-
 .. rus & Fridericus, unus verus, & alias falsus;
 .. duo in Ordine Generales: at unus Pseudo-
 .. Generalis, Michaël de Cæsena appellatus:
 .. sed quoniā Pseudo-Pontifex Petrus de Cor-
 .. bario dictus, erat professus de Ordine Mino-
 .. rum, & à Ludovico Bayaro, qui atrociter
 .. prælio Fridericum vicerat, Romamque in-
 .. vaserat, creatus & suffultus, ideo bona pars
 .. Fratrum Minorum cum præfato Michaële illi

„ adhæ-

„ adhæserat. Hoc autem advertens Joannes
 „ XXII. verus Pontifex, anathemate damnavit
 „ præfatos Antipapam, Ludovicum falsum Gene-
 „ ralem, eorumque fautores, omnésque, qui tale
 „ Caputium oblongum, seu pyramidale ferrent;
 „ quia præfatus Michaël, & sequaces cum tali
 „ forma Caputli & habitu extra Religionem &
 „ Ecclesiam vagabantur. Ut verò Minores non
 „ Schismaticos ab excommunicatis distingueret,
 „ præcepit, ut omnes Fratres Minores dinceps
 „ barbam rasam portarent (antea siquidem nu-
 „ triebatur) totaque Religio Minoritica, reten-
 „ to solummodo colore, in reliquo mutaret Ca-
 „ putium: quod & fecit, accipiendo formam
 „ rotundi Caputii, seu mediae Lunæ, additâ
 „ Mozettâ, seu Scapulari, quâ etiam nunc
 „ utuntur Conventuales, Observantes, Discal-
 „ ceati, Recollecti: Unde & necesse fuit, ut
 „ postea Capucini, qui oblongum Caputium
 „ (idem tene de gestatione Barbæ) ad imitatio-
 „ nem S. P. Francisci assumere voluerunt, fa-
 „ cultatem ad id habuerint à Summo Pontifice
 „ Clemente VII. „ Ità R. P. Hierotheus ex li-
 bro absolute prohibito.

Num. 36. Mirandum, quod R. P. Hiero-
 theus (qui aliam oculatus fuit, ut in Vaticana
 Statua suo crebriori visu (Capucinum notaret)
 hic tam de proximo non adverterit, quod una
 cum suo Genio M. Verino in medio fese contradic-
 tionum locaret. Hatum prima relucet in eo,

Etio.

quod Constitutio Quorundam Joannis XXII. circa habitum, data fuerit nonis Octobris Pontificatus anno 2do, qui proinde juxta inaugurationem Pontificum, quam idem in fine suæ Epitomes produxit, fuit annus 1317. Quomodo jam ad introducendam in Ordine habitus mutationem, Pontifex ab enarrato Schismate moveri potuit, utpote, quod (referente ipso met R. P. Hierotheo Epit. histor. pag. 108.) decenao ex post, scilicet anno 1328. in Ecclesia & Ordine prius ortum fuit? Tunc enim Petrus Corbarius à Ludovico Bavaro fuit inauguratus Pseudo-Pontifex, eidemque se associavit Michaël Cæsenas, factus extunc Pseudo-Generalis, qui ab ante legitime talis habitus fuerat, etiam ab ipso Summo Pontifice; utpote à quo idem Michaël anno 1327. Per amplâ facultate donabatur, se solo, & extra Comitia deponendi ineptos, ac eisdem idoneos substituendi Provinciarum Ministros, ut in terminis narrat idem R. P. Hierotheus Epit. pag. 107. Si hæc omnia, prout etiam vera sunt, nobis absolutè dicere volebat; cur simul monet, audiendum Bonitum Combasson (ut addit) vero similius sic differentem, seu, ut potius verum est, incompossibilia componentem? Ast, ni fallor, in uno eodemque Authorे Observantini Caputii asserta novitas, oblongique, seu pyramidalis antiquitas ita arridebat, ut ad aliud, quod assertum destrueret, non ita potuerit, vel voluerit attendere. Verum,

ex

ex hoc ipso ad 2dam contradictionem inter R. P.
Hierotheum, & M. Verinum, seu Verius ejus-
dem ad seipsum transeamus.

Num. 37. Si R. P. Hierotheus Bonitum
Combassion citando, tanquam verosimilius asse-
rentem, ita suum faciat, ut primam antiqui
habitū, & Caputii Oblongi, seu pyramidalis,
absque Mozetta, seu Scapulari tunica grisea assu-
ti fermam derelictam teneat, de Joannis XXII.
speciali mandato. Quomodo ergo stat contra-
rium, quo M. Verinus pag. 180. Observan-
tibus Pontificiam Indulgentiam obtrudens,
præsignificando ait; quod sub Michaeli Casena
Ordinis Minorum Generali Ministro, Congrega-
tio quadam sub nomine Narbonensem sit erta:
qui quedam quidem reformationis introducenda
zelo, at non sufficiente scientiā, Minoreque
prudentiā ducti, præter morem tunc viventis Or-
dinis, rudiores, Grossiores, & strictiores, non
solum habitus, sed & Caputia Brevia, gestabant;
quin &, quia in robur, & apud Nobiles in au-
toritatem excreverant, Obedientia jugum au-
dacter præsumebant excutere. Dūmque exinde
multiplices in Ordine motus, aliaque mala, tam
intus, quam foris fuerant enata, Pontifex me-
moratā Constitutione (Quorundam) decrevit, ut
Squallidis, strictis, & curtis istis habitibus, bre-
viorib[us]que Caputiis positis, omnes Minores in ea
deinceps habitū forma, que tunc in Ordine usi-
sata, & Universalis erat, sub Obedientia Mini-
stri

stri Generalis incederent. Sanè dices esse stylum ipsiusmet R. P. Hierothei : fateorque omnia illa esse vera , sed , sicut suprà formam pyramidalem cum quadrata conjungere non potui , sic modò non capio , qualiter brevioribus Caputiis prohibitis , oblonga , & pyramidalia eo ipso censemantur interdicta. Et tandem (ut ad 3tiā contradictionem transeamus) si conformiter ad assertum Combassonico - Hierotheanum , præfatus Michaëls & sequaces cum tali forma Caputii (scilicet Oblongi & pyramidalis) extra Religionem , & Ecclesiam tempore talis prohibitionis vagabantur ; quomodo per Constitutionem Pontificiam , depositis Caputiis , habitibusque prohibitis , in ea deinceps habitus formâ , qua tunc in Ordine usitata , & universalis erat , sub Obedientia Ministri Generalis (qui & tunc temporis Verinâ veritate Michaël de Cælena fuisse dicitur) incedere jubebantur ? Perfecto , si idem individuum ita scribat , sibi contrarium est : si autem M. Verinus , quâ à R. P. Hierotheo distinetus , adeo contra ipsum sentiat , peccatur contra illud , quod C. *Hac est fides.* 24. q. 1, dicitur ; *Non decet à Capite umbram recedere;* utrique autem instillandum foret Monitum Socratis : *Disputa , quod audias , & proba , quod credas.*

Num. 38. Quarta non minus Lectori , ad patientiam præparato , hic occurrit contradic̄cio , & quidem circa punctum principale :

Scilicet, per quem, & quonam tempore Minoritani habitus, quoad formam inassuti Caputii, in Ordinem fuerit introducta; & forma pristina, nedium particulariter, sed & communiter, atque publicâ aliquâ authoritate mutata. R.P. Hierotheus in Epit. Histor. pag. 55. ad annum 1260. Mutationem illam, tanquam præsumptuosam à S. Bonaventura removens, & adductâ authoritate Bohiti Combasson (quam suprà retulimus) in Joannem XXII. retrahens, inquit: *Quia verisimile non est, quod Vir Sanctus præsumperit Vestimenti formam in Regula descriptam* (alibi sat saepe dicit præscriptam) & à Legislatore usque ad vitæ sua finem portatam (NB. in ejus asservatis habitibus, nullibi apparet Caputium pyramidale) quoque modo corrigere, sicque plus, quam bis, & ista voluerit sapere. Confirmat hoc idem per argumentum negativum ex eo, quod nec in actibus Capituli ad istum annum servati, nec in litteris per S. Bonaventuram ad universum Ordinem datis, de mutatione hujusmodi, seu de Mozetta inassuto Caputio addita quidquam legatur. Ait lubet hanc interrogare: An ergo in Constitutione Joannis XXII. Cujus circa habitum Minoritanum sola exstat illa, quæ incipit: *Quorundam*, legatur aliquid de mutatione præfata in universum Ordinem introducta? Sanè contrarium in ealegitur; imò finis ab illa intentus erat, tollere Novitates; unde, ut quæstionem principalem, unâ cum 4ta Contra-dictio-

ditione propriis tangam, Quæro: an Mutatio, quæ à Joanne XXII. quoquo modo demandata est, concernat Corpus Ordinis de novo induendum; vel, an solos particulares particularibus formis exuendos? Quantum ad sensum Hierotheano-Combassonicum res clara est: scilicet, ut Joannes XXII. *Minores non Schismatics ab excommunicatis distinguere, præcepit, ut omnes Fratres Minores deinceps barbam rasam portarent (leve pondus) totaque Religio Minoritana, retento solummodo colore in reliquo mutaret Caputum, quod & fecit &c.* In suo autem M. Verino tenet contrarium: *Nimirum, quod mandaverit Pontifex, ut positis Caputis, habitibus que prohibitis, in ea deinceps habitus forma, qua tunc in Ordine usitata, & universalis erat, sub Obedientia Ministri Generalis incederent.* En habes tam in puncto principali contradictionem. Obiter hic reflesto, quod, cum M. Verinus pag. 182. dicat, me cum grammaticalibus, & vulgaribus vocabulorum significationibus, ac devotabus aures simplicium & imprudentium demulcere; ejus Geniuscum suo principali, leu umbra cum Capite, non cesseret forte virorum prudentium, multiplicatis contradictionibus, auditum usque ad nauseam fatigare. Fortisan quadrat hic illud S. Augustini Lib. 4. contra Crelconium cap. 28. *Itane iam aperte contraria te posuisse non sentis, ut vix credibile sit, quod unus homo utraque disere potuerit.* Ex de Veritate quæ contradictionis

nibus vim patitur, Seneca de formula vita inquit:
Veritas simplex est oratio, ideoque illam implicare non operiet.

Num. 39. Interim cum in uno contrarium sit Veritas, *est verum non sit ex falso verum,* ut docet Aristoteles 1. Posterior. Authori ficto, seu M. Verino, facilius hic consenserim, quam eidem in *Epitome* se nominanti: Consenserim inquam saltē secundūm quid, scilicet in eo, quod mutatio formae Caputialis per Joannem XXII. non in Corpore Ordinis facta sit, sed quod haec in particularibus personis, Ordini rebellibus, novitatum amatoribus, vi Constitutionis editæ potius fuerit sublata, una cum Obedire finaliter nolentibus, qui & ipsi sublati, seu extra Ordinem positi fuere: nam iste sensus fati patet per ea, quæ ex Constitutione *Quorundam.* Jam adduximus, & ex ipsius verbis initialibus abundè eruitur, dum ita incipit: *Quorundam exigit cœcæ scrupulositatis ambiguum,* ac ipsorum quodammodo indocta scientia: ne dixerimus, quod irreligiosa horum sit, vana, vel in hoc superstitionis Religio: ut, dum suis maruct temere, sub conscientia Velamento, conceptibus, quam Pralatorum Ordinis sui cum Obedientie merito, providè inhærere sententiis &c. De Barbera etiam ab antiquo in Ordine Oblonga, deque ejus rasura per Joannem XXII. in Ordinem introducta, nec citata Constitutio vel sub umbra loquitur; nec alia de hoc profertur; quin potius rasu-

rasuram ejus primævis S. Francisci Sociis cum moderatione consuetam, inferius suo loco (ubi magis ad istam quæstionem trahor) luculenter, & sine ullius fundata contradictione ostendam; Scilicet in fine Capitis 9ni.

Num. 40. Posset interea aliquis querere, cur in hoc puncto pro Capucinis scribentes tantopere allaborent formate sistema de mutatione Minoritani Caputii per Joannem XXII. in Ordinem introducta: quorum euidem adæquatum motivum in promptu est: ut per hoc forma à Capucinorum Congregatione, seculo salutis sextodecimo assumpta, appareat primæva, atque à tempore Joannis XXII. (fortè id requirentibus peccatis nostris) interrupta. Unde P. Franciscus Longus à Cariolano Capucinus in suo Breviario Chronologico Pontificum, & Cardinalium impressum Lugduni 1623. pag. 362. ita scribit:

„ Verior Nobis semper visa est sententia illorum,
 „ qui mutationem accidisse affirmant tempore
 „ Joannis XXII. sicut optimè dicit P. Hypo-
 „ litus de Slave in sua expositione Regulæ: ubi
 „ tempus, & rationem de hoc assignans dicit,
 „ quod propter F. Michaëlis de Cæsena tunc
 „ Generalis erga Pontificem inobedientiam, re-
 „ bellionem, & contumaciam id factum sit:
 „ Cum enim anno 1328. ab ipso Papa objur-
 „ garetur aufugit ad Ludovicum Bavaram &c.,
 Et pergit P. à Cariolano: „ Hujus sententiæ
 „ etiam assertores fuerunt primi illi Patres, qui

„ Congregationem nostram fundaverunt: Dum
 „ enim, cùm à Fratribus de Observantia infe-
 „ statentur coram Excellentissimo Domino Duce
 „ de Nuceria disputantes, & de Caputii forma,
 „ atque mutatione differentes, ad tempus Joans
 „ nis XXII. reduxerunt, quod quidem bene-
 „ novisse poterant, cùm tunc in Ordine talis
 „ narrationis recens esset memoria. „ Ità hic
 Scriptor Gapucinus: ubi imprimis non capio,
 qualiter ab anno 1328. quo facta assentitur talis
 mutatio, usque ad accessum primorum Capuci-
 norum ad præfatum Ducem, quem R. P. Hiero-
 theus Epitom. Histor, ponit ad annum 1532.
 sicque duobus sæculis posteriorem, *recens* hujus
narrationis censeatur fuisse memoria. Haic acce-
dit aliud non minus paradoxum: Videlicet Joa-
nem XXII. præcepisse mutationem Caputii ob
Schisina, quod contigit anno 1328. qui tamen
Pontifex tuam Constitutionem: *Quorun-*
dam exigit &c. Jam tum ediderat anno 1317.
ut videre est in ejus dato. Simulque advertendum,
quod de nulla alia præfati Pontificis circa vesti-
menta Minoritica Dispositione constet; vel adfera-
tur id, quod forte solis hujusmodi Scriptoribus
hucusque vistum est. *Andate e non parlate.*

Num. 41. Paginâ 177^o Modestus Verinus
ex suis probationibus dicit detegi, ac palam fieri
errorem, quo in Dialogi continuati pag. 169.
bac ventilata laborant, quod nempe (ut ibidem
dixi) nec *Regula Fratrum Minorum*, nec *Decla-*
ratio-

Rationes Pontificum, nec certa Ordinis traditio ab antiquo, formam, & figuram habitū, sive Caputii Fratrum Minorum expresse tradiderint. Sanè si benevolus Lector attenderit; M. Verinus ibidem per præcedentes suas probationes, in his verbis meis, errorem non satis manifestat: utpote, dum in citatione *Hugonis de Dina* ipse mettere erroneous procedit, nec quidquam in confirmationem sui asserti invenit, prout suprà adduximus; in aliis formam Caputii pyramidalem cum quadrata confundens, regulas Mathematicas destruit, sicque nobis ex authoritatibus adductis certi nihil dicit. Noster Kerckhoven, cùd quòd in sua Recollectina Flandriæ Provincia, Confratres ejus Caputium sub Collari, quasi imperceptibiliter assutum portent, assuturam illam Regulæ conformem tenent, quod nec ego nego; nunquam tamen ipsi incidit, vicinas sibi Provincias transgressionis præcepti Regularis arguere; aut propter non assuturam dispensationem Pontificiam contra eorum voluntatem ipsis imponere. Nullatenus sensit cum D. M. Verino, qui loco sup. cit. dicit, quòd habitus, & Caputii forma, sub qua Recollecti, & Observantes incedunt, sit legitima, & Minoritana, ideo duntaxat, prout alibi innuit, quia sic ordinatur, & approbatur ab Apostolica Sede. Imò & de me ipso fateor, quòd nihil adeò expressum adduxerim, ut Lectores constituerim certos, & indubitabiles, de Originatia habitū, & Caputii Minoritani for-

ma praesettim tempore S. Francisci; Unde ergo in supra adductis verbis meis palam fit error? Si equidem M. Verinus me in illis reum erroris absolute velit: fatebor me errasse in hoc, quod ad Decretum Apostolicum superius cap. I mo N. 3. adductum, in Dialogo meo continuato non satis reflexerim: hoc enim, ni fallor, certi aliquid tradit, ac determinati: dum Ordinem Minorum a suae institutionis primordio, sub forma habitus Observantini incessisse, assert ex documentis authenticis constare, hoc est, cum quolibet bene instructo intellectu stare. Ex ore, autem Romani Pontificis rectissima debet exire sententia, ut tenere debebis cum Gloss. in c. Ex ore de Privilegiis. Utpote, qui censetur omnia Jura habere in Scrinio pectoris sui. c. I. de Constit. in 6.

Num. 42. Dum ergo M. Verinus querit: an ergo Vaticana statua tam potenter peroret, ut clingues esse debeant Imagines Lateralenses, & Liberianae? R. Negativè: sed, sicut hæ exprimunt exteriorem Ordinis, saltè pro parte, variabilitatem; sic Vaticana illa statua exhibens S. Franciscum ut Fundatotem, loquitur, vel saltè non negat habitus, Caputiique Observantini Regularitatem; Religiosissimos Patres Capucinos equidem ab hac regularitate habitus non excludens; èo quod Clemens VII [qui in suo Prædecessore Honorio III. Approbator, ideoque formalis reputandus est Regulæ Conditor] eis

eis indulserit *Quadratam*, aut [si una cum alia coincidat] pyramidalem formam Caputii; non quidem contra Regulam, quod absit dicere, utpote, quaे quoad talia accidentalia nihil determinat, sed præter morem antiqui Ordinis, à quo eatenus separati sunt, *Quatenus Caput* independens ex Indulcio pariter Pontificio acceperunt. Perorationis autem potentia, de qua M. Verinus querit, non tam in muta statua, quam in Pontificio Decreto, ipsam comitante est attendenda. Per hoc etiam ruit paritas, quam pag. 195. contra me assumit, ac etiam alibi ex Statuis Lateranensisbus, utpote, quæ sunt ad sufficientiam Francisci ut Sancti, sed non ut Fundatoris, deficitque eis Decretum concomitans, præsertim tale, seu taliter sonans, veluti illud suprà Cap. I. N. 3. adductum. Quibus adnotandum adhuc, quod in atrio Basilicæ Lateranensis à parte sinistra inter alios sanctos non minus ab antiquo videre sit S.P. Franciscum in habitu Observantino; sub cuius forma etiam comparet in nova Academia à moderno Sanctissimo erecta, et si color hujus habitus ad albedinem declinet, more ferè nostrorum in Hispania, vel Tertiariorum in Italia.

Num. 43. Si autem idem M. Verinus replicaverit Decretum hoc loqui de primordio Institutionis Ordinis Observantini præcisè: Respondeo, Ordinem Observantinum (nisi potius nomen, quam rem illius attenderis) non

inchoasse nisi cum Regula S. Francisci: in personarum enim non interrupta successione ita Institutum S. Francisci continuavit, ut numquam regularem Regulæ ad Litteram Observantiam deseruerit, à quo suo tempore nomen accepit; nunquam à vero, atque in Regula praescripto, ac unico Ordinis Capite, & S. Francisci legali, ac legitimo successore se separaverit; nunquam mutaverit formulam professionis illius, quam S. Franciscus cum duodecim primis Sociis emisit in manibus Innocentii III. Quæ omnia simul sumpta in aliis Minoritanis Familias non ita invenies, quantum cuncte alias in Ecclesia Dei florent, atque ejusdem Patris Filii in ea fru&tificant.

Num. 44. Deinde Decretum loquitur de Ordine *universo*, ejusque ab antiquo usuali habitu, seu de *Ordine Minorum* (nedum quoad participationem Regulæ, ejusque quantum cuncte strictam Observantiam, de qua non disputamus, sed & quoad continuandam, Juxta caput & vnum Regulæ Capitum successionem) à S. Francisco instituto, cujusque, velut Corporis, ipse primum Caput fuit; Inquirebaturque ab ante, quænam trium laudabilium Familiarum forma habitus nedum esset regularis, sed etiam antiquitati Ordinis, variis temporibus, magis conformis: sub qua inter alios Ordinum Fundatores, convenientius representandus foret S. Franciscus Seraphicus,

eūs , ut Sanctus , simul & Fundator , atque Ordinem tuum quōque exhibens : Et itā inventa , atque ad lapidem Lydium probata , ac Ordinis antiquitati magis conformis Judicata , & electa fuit forma illa , quā utuntur Observantes , qui cum aliis , tam per Leonem X. unitis , quām etiē ex post sub eodem continuato Capite exortis Reformationibus constituunt Ordinem , qui solus vi Leoninarum Constitutionum : *Ite & vos , ac: Omnipotens Deus.* Dici potest simpliciter , & sīnē addito aliquo restrictivo : *Ordo S. Francisci* , vel *Ordo Minorum* . Et illius Minister Generalis solus sese inscribit , & à Summis Pontificibus inscribitur . *Minister Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum* . Alii debent addere restrictivum , v. g. *Conventualium* , vel *Capucinorum* . Quod totum est , & infrā ostendetur esse de Jure claro . Statua etiā Vaticana sub Fundatoris exhibitione , ut asseritur , hanc Epigraphen tenet : *Ordo Minorum* . Ex qua inscriptione M. Verinus pag. 190. ex Patre suo Hierotheo Statuam illam , quoad formam habitūs , per *crebriorem* suum *ocularem visum* Juxta regulas Anathomicas satagit dividere inter omnes tres Minoritanas Familias , additque repräsentationem illam triplicem *non absque Dei nutu esse Mysteriosam* . Interim totum Misterium satis exponit in sēpe mentionato Decreto , quod excludens Hierotheanam hanc divisionem , vult totam repræsenta-

sentationem, ex causâ in illo allegata, esse Observantinam. Unde non ad solam illam Statuam (præsertim sinistro oculo observandam) sed & ad hoc Decretum debuisset R. P. Hierotheus, crebriorem suum applicare ocularem visum, ne & M. Verinus erraret.

Num. 45. Interim (crebrioritate visus forte fallente) Epigraphe, seu Inscriptio Statuæ ab assertoribus non est bene Observata; utpote, quæ in rei veritate est talis: *Fundatori suo Ordo Minorum erexit anno Jubilai MDCCXXV.* Ordo autem erigens juxta assertum M. Verini sup. cap. i. N. 2. adductum, *nervosa est Religio Observantium*, quæ proinde & Ordo Minorum est, & S. Franciscum (qui, testante Regulâ, unicum sub uno Capite fundavit Ordinem Minorum,) nedum ut Patrem & Legislatorem, sed etiam ut Fundatorem, primùmque suum Ministrum Generalem respicit. Ne autem quis nimium oculatus errorem esse existimat in eo, quod contra hanc Inscriptionem alias dixerimus, Statuam anno 1726. esse erectam, notandum venit, quod inter confectionem, seu absolutionem Statuæ, atque inter ejus in Vaticana Basilica realem, & Ordinatam erectionem, annus utique potuerit esse mutatus; unde erection illa, utrōque anno pro parte eurrente, intelligi valet perfecta absque contradictione. Interim Statua Inscriptionem non tenet à Modesto Verino ejusque R. P. Hierotheo.

theo assertam, scilicet: ORDO MINORUM.

Num. 46. Dixeram in Dialogo Contin. (protul M. Verinus sibi pag. 184. objicit) „ quod si „ ego etiam contra quoscunque Caputii assu- „ turam ad Habitum ex Regula vellem intelli- „ gere, equidem meum Judicium mutarem, „ vel erubescerem illi inhærere, ex eo, quod „ nec in S. Bonaventura, nec in ullo alio anti- „ quo Expositore de illa mentionem fieri inve- „ nirem. „ Ad quod M. Verinus respondet: „ faculum, quo P. Matare Capucinos petit, hi sic in eundem retorquent: si ego Modestus Verinus contra quoscunque Caputii sejunctionem ab habitu, sive non assuram ex Regula vellem intelligere &c. repetit superiora mea verba usque ad finem: si- bique de Victoria veluti applaudens subjungit: Quod telum Adversarius tam diu dissimulanter ferat, usque dum ostenderit, quibus modis, seu terminis S. Bonaventura, & alii Expositores antiqui iradant, quod tunica, & inassum Caputium, cum Mozetta, sive lunula, ex mente Legislatoris genuinum habitum Minoris professi constituant, ac repräsentent. Et quanquam confidat id nos non posse præstare; attamen pag. 192. Nos pro parte, ex sua discretione excusat dicens: Ne erronea cogitatio fallat, quasi M. Verinus omnem prorsus discretionem exuerit. En! ulro fatetur, quod R.R. PP. Observantium, Recollectorum, ac Reformatorum habitus, neg-

se tota, nec absolute peccet, nec ut sic cognoscatur a Summis Pontificibus peccare &c. Deinde discretionem suam immediate continuans, peccatumque nostrum per Pontifices [saltēm secundūm quid] abstergens, formam nostram, uti etiam alias solet, Pontificiam facit. Ubi magnas habemus gratas pro discretione, maioresque haberemus, si se toto discretus, totum etiam habitum nostrum a peccato absolvisset. Non ingratum pariter fuisse; si ex Summis Pontificibus unum nobis nominasset; vel, qui habitum nostrum non se toto, consequenter secundūm quid adhuc peccare pronuntiasset; vel saltēm, cui mutationem nostri habitūs, una cum irregularis nostræ novitatis legitimatione referre debeamus acceptam.

Nam. 47. Deinde judicet æquus Lector, an ego in illis verbis RR. PP. Capucinos *Jaculo petierim*, qui contra spiritum privatum loquens, assuturam Caputii nunquam censuravi, multò minus irregularē dixi, aut cogitavi, sed illius ex sensu Regulae necessitatē ad hoc solūm negavi, ut formam nostram Observantiam, Boveriano, Hierotheano, ac tandem hujus Anonymi Jaculo petitam, regularem esse defendarem, ne tacendo videremur concedere, iuxta dictum Cœlestini Papæ ad Episcopos Galliarum: *non caret suspicione taciturnitas; iqua occurreret veritas, si falsitas displiceret.* Atque error cui non resistitur, approbatur; & veritas,

gum

cum minimè defensatur, opprimitur. Quos binos textus, ex meo primo Dialogo mutuos M. Verinus pag. 348. sibi arripuit: benè quidem, si ad primum Aggressorem æquè pertinenter, quam ad me, qui nunquam, nisi Defensorem egi.

Num. 48. Modestius sancte, Veriusque ante Jaculatores suprà dictos scripsit suprà laudatus Hieronymus à Politio Capucinorum Generalis, cui tale Observantini habitus peccatum nunquam videtur incidisse, vel saltē ex calamo nunquam excidit; unde super Regulam cap. 2. n. 99. de Professorum duabus tunicis loquens solum ait: ut scilicet una sit interior tunica Fratribus concessa sine Caputio, quam volle libertatis est: & altera cum Caputio exterior, qua dicitur habitus, quem professi necessariò portare tenentur. Prout etiam S. Bonaventura, aliquique antiqui per tunicam cùm Caputio habitum exteriorem intelligunt, nec assuturam rejicientes, nec urgentes, utpote, de qua nullam mentionem faciunt. De tunicis autem Novitiorum idem à Politio Num. 68. loquens ait: debent dicta dua tunica esse sine Caputio, cuius loco conceditur Caparo, ut in hoc habitus Novitiorum ab habitu professorum distingnatur. Deinde ad congruentiam assutionis in professis, & non assutionis in Novitiis inclinans subdit: & satis congruè per hunc (scilicet per Caparonem distinguuntur) quia per divisionem caparonis à corpore tunice, cui

non debet esse assutus , appositiè designatur , quod Novitii nondum sint Corpori Religionis immobili-
ter assuti , seu obligati . In quibus verbis lauda-
bili Capucinorum habitui sua sub congruentia ,
accomodatis , & aliunde respectu Observant-
ium (utpote qui non absimilem congruentiam
in non affectione caparonati Caputii in Novi-
tiis habent) nullatenus offensivis ; in quibus
inquam , prælaudati Hieronymi verbis diligen-
ter adverte : quod à Novitiis Caputium exclu-
datur , utpote *cujus loco conceditur eis Caparo* ,
quem deinde , dum dicit , debere esse inassu-
tum habitui , non loquitur de inassuto Capu-
tio , quod excludit , utpote Caputium à Capa-
rone distinguens ; consequenter de plano non
consentit cum M. Verino , qui pag . 182 . per
particulam (*sine*) vult excludi , non Caputium ,
sed solam assuturam ejus , atque per consequens
prætendit , per contrariantem particulam (cum)
Caputii assuturam ipsis etiam *cacutientibus eri-*
dentem & perspicuam fieri . Mihi sanè (forsi-
tan nimium cæcilio) non est evidens , quod ,
si juxta Hieronymum illum particula (*sine*)
ipsum Caputium à Novitio excludat , & con-
trarians particula (cum) Caputii assuturam ap-
pellare , ac concludere intelligatur : quod in-
quam tunc *contraria juxta se posita elucent* ,
ut adducit M. Verinus ; quia , si tò *cum* appel-
let assuturam , & tò *sine* ipsum Caputium , con-
trarietas non est , quia circa idem non est ; &

con-

consequenter non quadrat tritum illud Aristotelicum à M. Verino adductum ; quod enim de tibiis conceditur , poterit de Calepodiis negari.

Num. 49. Dum autem tam nostri , quam Capucinorum Novitii modò Caputia portant , idque absque eo , quod continuâ in Regulam transgressione peccetur , prout M. Verinus pag. 183. arguendo timet : dic Novitiorum Capitis tegumentum non esse Caputium , sed Caparonem ; unde dum apud nos in pœnam pecia panni ad modum Novitiorum nostrorum Caputio alicujus assuitur , dicitur talis ad Caparonem reductus , prout pœna illa in nostris statutis nominatur , sicque ex Caputio fit caparo. Vel si tibi hoc non placet , quod mihi equidem sufficeret ; aut , si caparo tibi nimijum sit Caputium , seu ad illius esse accedat ; equidem utrimque res salva est : si enim (Regula in terminis permittente) in potestate Ministrorum est , Novitiis usque adeò ipsum Professorum habitum statim , & ab initio concedere , si secundum Deum ipsis videatur , utique possunt etiam tale dare Caputium , per quod Novitii ad habitum Professorum ita solùm accedunt , ut equidem per peciam à Caputio dependentem sufficienter adhuc distinguantur. Forma autem Caparonis non in omnibus Regionibus eadem est : Recollecti enim in Germania distinguunt Caparonem à Caputio , per

peciam panni ante pectus usque ad cingulum pendentem ; in pluribus autem , teste Mar-
chantio , Provinciis Hispaniæ Novitii Obser-
vantiaæ pro Caparone portant Caputrium , quod
in figura ab utraque parte , scilicet à tergo , &
ante pectus ad Cingulum producitur , quale est
ferè Caputrium *Minimorum* , & cuiusmodi fe-
runt in his Regionibus Novitii Capucinorum .
Omnia cum Regula , & pro Deo ; nihil pro
Criticò .

Num. 50. Interim non nihil adhuc ad su-
periorem M. Verini teli repercussionem ascen-
damus . Si ego mi M. Verinè ita arguerem :
nullus Christianæ doctrinæ probatus Exposi-
tor dicit , quod Clerici pro imitatione Christi ,
necessariò , & vi præcepti teneantur nutrire
barbam , ergo hæc non est de præcepto nutri-
enda . Et tu econtra argumentum hoc ad rasu-
ram Clericorum vertens inferres : nullus pro-
batus Expositor dicit , quod Clerici pro imi-
tatione Christi , & vi præcepti teneantur bar-
bam radere ; ergo hæc non est de præcepto ra-
denda . Verum quidem dices , benèque in-
ferres ; ast me tua repercussione non tangeres ,
nec telum mihi dissimulanter ferendum infigeres :
nisi ego fortè dixissem rasuram barbae ex Evan-
gelio , seu Christiana doctrina esse præceptam ;
veluti tu in nostro sistemate dixisti , & urges ,
assuturam Caputii de præcepto esse ; quod si-
cūt ego nego , sic sejunctionem ejus , seu non
assutu-

assuturam obligare nunquam affirmo, sed superiorum meorum iudicio determinationem hujusmodi velut accidentalium relinquens, sine scrupulis obedio. Argumentum itaque negativum suprà pro me erat, scilicet, *non expansur praeceptum, ergo non est obligatio*; quam obligationem tu affirmas sive aliter, quam per simile argumentum negativum probare debuisses, & adhuc debes; scilicet clarum assignando præceptum affirmativum talis obligationis: nam (licet propter nostrum affirmare, vel negare nihil in re ponitur, ut nobis dicitur I. de Interpret. c. 6.) ei incumbit probatio, qui dicit, non qui negat. I. 22. ff. de probation. Quicunque mi M. Verine! sub ficto nomine sis, saltē Professorem juris, aut Jacobitatem Philosophicum te non ostendis. Interim, si telum tuum, quod tam dextrè retortum putas, etiam usque ad deliquium animi me te egisset, redirem tamen ad spiritum, legens Decretum Apostolicum, quod Cap. 1. N. 3 ostendi etiam tibi legendum; quod scias mihi pro scuto esse, licet nec alia pro defensione Veritatis arma deficiant.

Num. 51. In Indice posthumo, quem M. Verinus suo Discursui Polemico jam publicato adhuc adjecit: sub lit. F. ponit, quod S. Francus, sicut certam habitus religiosi formam preservavit, ita & eandem in Regula sua præcepivè prescriperit, remittitque ad pag. 164. 167. 76.

Ad quod dico imprimis cum P. Marchantio in Exposit. Reg. cap. 2. q. 7. *Plures (eben) modi questiones sunt de figura Caputii, quam de forma regulariter vivendi: nec hujus disputationis terminus esse potest, ubi opinonis, & diversa sentiendi terminus deest.* Et post pauca idem Marchantius hæc sibi objiciens: *Illa videtur esse magis congrua forma Habitū & Caputii, quam S. Franciscus, & primi Patres portaverunt; respondet; tantam fuisse ante illa tempora (loquitur de temporibus S. Bonaventuræ) inconstantiam in figura, & forma habitū, ut ex post Joannes XXII. ipse in re ista ad solam Regulam recurrat; in qua, ut inquit, *nihil est determinatum.* Unde (pergit Marchantius) verisimile est, nihil fuisse omnino stabile. Neque ipse S. Fundator eandem accidentalem formam semper tenuit, cùm diversos habitus juxta devotionem offerentium acceptarit, quæ non poterant omnes esse ejusdem omnino figuræ, & mensuræ. Interim [ut in Præfatione ad viam Franciscanam de origine & incremento regularis Observantiarum refertur] S. Bonaventura, quæ S. R. E. Cardinalis, & Episcopus Albanensis effigiem S. Francisci cum Capitio Mozettato, seu Observantino in summitate sui Baculi Pastoralis collocatam habuit. Imò, si ad alias antiquitates velis, Mozettam inventies in Missali, & Casula S. Ludovici Episcopi Tolosani 1295. in Antependio Nicolai IV.*

1288. in Ciborio S. Bonaventuræ 1273. in Pallio Altaris Reginæ Cypri 1231. quæ omnia ostenduntur Assisi ante tempora Joannis XXII. & quoad ultimum, quinquennio post Obitum S. Francisci. Item Magistratus Paduanus Anno 1257. annis 26. post obitum S. Antonii in forma Mozettata erexit statuam ejus; quam S. Bonaventura utique vidi ante annum 1260, quo formam illam universalem fecisse dicitur. Et horum tibi testis sit Antonius Luci in *Rationibus Historicis* pag. 298. Saltēm quatenus hæ ipsi adscribuntur. Cur quæsò contra hunc non agis, sed me jam 2dō sub nomine tum vero, tum ficto aggrederis, ipsaque has *Rationes Historicas* særissimè obtrudis, imò de harum non spernenda authoritate in Discursu Polemico specialem Quæstionem instituis?

Num. 52. Insuper in aliâ citato Libro *Il fiume del terrestre Paradiso*, in quo quām plures ante tempora Joannis XXII. factæ, & authenticè, ut præfertur, copiatæ imagines exhibentur, quæ repræsentant S. Franciscum, & antiquos Minoritas cum Caputio rotundo, & Mozetta, seu Collari versùs pectus. Videlicet fol. 289. una Assisi operâ antiquissimi Pictoris Giotti. fol. 292. Tres Assisi ejusdem Giotti, fol. 296. Imago S. Francisci ejusdem Pictoris. & fol. 449. aliæ depictæ Assisi ab eodem Giotto; quas curavit depingi noster Cardinalis F. Matthæus de Aquasparta creatus Cardinalis

à Nicolao IV. Anno 1288. Item fol. 337. Imago S. Francisci depicta etiam Assisi à Pictore vulgò dicto *Cimaber*, qui fuit Giotto antiquior, & ut putatur ejus Magister. fol. 329. quatuor Imagines, de quibus suprà, in Antependio Altaris S. Francisci Assisi, vulgò *Paliotta*, Missæ Assisium à Nicolao IV. fol. 320. à tergo aliae quatuor in simili Antependio Assisi ejusdem Nicolai IV. fol. 321. Altera Imago Assisi in Calice misso ab eodem Nicolao IV. fol. 343. duæ Imagines in Civitate Veronæ existentes de Anno 1230. cum parva Mozetta, quarum una exhibet S. Franciscum omnino imberbem, fol. 448. fol. 451. altera ejusdem S. Patris depicta senis in Tuscia Anno 1300. fol. 477. Iterum alia S. Patris Francisci depicta Anno 1270. fol. 478. una depicta anno 1237. fol. 465. & seqq. variæ Florentiæ depictæ à Giotto in Conventu S. Crucis anno 1296. Deinde alia depicta ab Arnulpho Lipo anno 1294. Omnes inquam adductæ Imagines repræsentant in præfato Libro Fratres Minores cum Caputio non pyramidali, sed magis rotundo & cum Mozetta. Et cùm ibidem legantur factæ ante annum 1328. in quo accidit schisma, falsum apparet Lectori, quantumcunque etiam distracto, quod ante dictum schisma Fratres Minores tali Mozettato Caputio non fuerint usi, & quod à Joanne XXII. talis forma fuerit in Ordinem introducta occasione

sione hujus schismatis. Hæc uni fortè , aut alteri ad naufragium nimis fusè adduxi , ne mihi per Modestum Verinum denuò objici valeat (prout pag. 196. facit) quòd declinaverim Hierotheana argumenta ex antiquis Picturis de- sumpta , quæ M. Verinus hucusque putavit pro solo pugnare pyramidali Caputio. Romæ etiam in Conventu 12. Apostolorum , qui Con- ventualium est , ab antiquo depictæ conspiciuntur Imagines S. Francisci , S. Antonii Padua- ni , & S. Ludovici Episcopi Tolosani in habi- tu Observantino , & quidem ita , ut S. Ludo- vicus Mozettam , seu Collare Caputii [quod , ut asseritur contra essentialia Regulæ est] ha- beat positum super pluviale.

Num. 53. Et nihilominus superiùs mentio- nata instabilitas eò verisimiliùs pro primis illis temporibus est apprehendenda , quòd etiam post introductam expost uniformitatem , póstque non nullorum Pontificum jam editas Declarationes , equidem uniformitas illa in omnibus stabilis non fuit. Unde Alvarus Pelagius , ut supra notavimus , Joanni XXII. ad annum 1316. Contemporaneus Lib. 2. art. 76. de *Planctu Ecclesie* , ob multorum vanitatem plangens Ecclesiam , plangit & suum Ordinem dicens : *Longissimos habitus sub colore honestatis , & cappas , & tunicas deferunt , & Caputia usque ad nates : ut , qui magis est Caputianus , magis se reputet &c.* Et quid mirum? cum ipso adhuc vivente S. Francisco , &

coram agente, F. Elias de Cottona, aliqui
de quibus non semel conquestus est S. Pater,
fimbrias dilataverint; prout expresse etiam in
Caputio longiori fecisse Eliam, Francisco apud
Egyptios agente, scribunt Marianus, Marcus
Ulißiponensis, & Cæteri apud Arturum. **Quod**
in his ipsis (ait idem **Arturus** in Martyrol. Fran-
ciscan. ad diem 3. Auguſti) scilicet in Latera-
nensis, & Liberianis (quas M. Verinus tan-
topere jactat) Vermiculati operis Imaginibus
plane probatur: nam adeo longum praferunt
effigiatæ Sancti (Franciscus & Antonius) habitum,
ut etiam subcinctus, & suprà Cingulum colligatus,
justam excedat, vel adaequet longitudinem vestis,
quam Franciscus gestabat, quāmque illius Men-
ſuræ fuisse scribunt Antiqui nostri Legendarii,
ut subcincta absque ulla hujusmodi suprà Chor-
dam collectione terram non tangeret; diffluen-
tibus autem fimbriis, quæ præcinctæ vel cor-
reptæ in his conspicuntur effigiebus, ad unum,
vel alterum palatum per terram habitum trahi
oporteret. Hoc idem ego hæc scribens actua-
liter obſervo in dictarum Imaginum delineatio-
nibus, quas in manibus habeo, nam tanta in
eis appetet ejusmodi suprà Chordam habitus
collectio, ut nihil de illa, seu de cingulo ap-
pareat.

Num. 54. Deinde (ad superius M. Verini
assertum ascendendo) aliud est loqui de forma
habitū & Caputii, aliud de forma Caputii,
aut

aut habitū tali: *Forma talis Caputii nulla substantialis est: cum per Aristotelem 2. Physic. artificialium materia tota sit illorum substantia;* et si portata fuerit à S. Francisco, qui formam Caputii quadratam portavit, Recollectis non absimilem, prout visum est. Et equidem ad hanc non obligat præceptum Regule, quæ non de tali, vel tali, sed simpliciter loquitur de *forma Caputii,* quæ suo modo substantialis est, quatenus ipsum esse Caputii, quod Regula habitui superaddendum vult, constituit; sicque ad *esse*, & non ad *tale esse* Caputii ordinatur. Si proinde M. Verinus de hac forma loqui velit, verum est, S. Franciscum in sua Regula *præceptivè* præscripsisse Caputium, quod unā cum forma sua constitutiva, est Capitis tegumentum; ab illōque, quod ipse portavit, quoad suam essentialē formam non discrepans. Dum autem M. Verinus pag. 186. querit 1^{mo}; Cur (si penes Ministros sit facultas quoad accidentales habitū & Caputii formas disponendi) S. Pater in sua Regula nullo prorsus verbo tam *ample facultatis* meminerit? 2^{do} Si juxta me facultas hæc in ipsa Regula contineatur: cur Joannes XXII. de consilio Cardinalium illam concedere debuit? adeoque infert, quod Papa juxta meum sentum, vel actum egerit, vel præhabito Ministrorum juri, novum robur adjecebit, de quo tamen, inquit, Constitutio illius nihil dicit. Ubi

Num. 55. R. ad I^mum : quod S. Pater suam Regulam brevem , & quasi ex misericordiis Evangelicis (ut aliquando visio ipsi superna monstraverat) in unum panem voluerit esse congestam ; Unde , sicut ipsum sanctum Evangelium (quod doctrinam suam necessariam abundantanter tradit) Ecclesiae nihilominus explanationi , ac Declarationi locum relinquit ; ita & Vir Evangelicus , & Sanctus noster Legislator suo modo processit . Ad quod facit illud , quod supra ex Decretali : Quorundam : adduxi , scilicet : non enim particularium omnium certa potest dari scientia , neque horum , cum infinita sint , contingit fieri disciplinam . Non ars , non Regula circumstantias omnes , accidentiaque complectitur t habent in illis minores subesse majoribus , illi que obsequi , illi que intendere : non in certis solum , verum etiam in dubiis , & incertis &c. Ad 2dum dico : quod si Modestino illi dubio ad votum ejus accederemus , tunc omnes Declarationes Pontificias , circa Regulam determinantes , & Fratrum dubia ante Joannem XXII. resolventes (scilicet Gregorii IX. qui viventi Francisco familiaris fuit , & de mente ejus sibi constare testatur ; Nicolai III. & Clementis V.) vel debemus dicere dispensativas ; vel (si in ipsa Regula ipsorum Declarationes jam præcontinebantur) dictos Pontifices actum egisse , aut præexistenti juri novum robur adjecisse . Sanè actum illi non egerunt : quia Fratrum dubitan-
tium

tium conscientias clariori obligationis declaratione sedarunt: atque ex ipsis Regulæ visceribus, mentem Legislatoris indubitabili quodammodo authoritate ob oculos posuerunt; & sic Regulæ (ut dies diei scientiam manifestet) claritatem, aut etiam (si ita veli) robur addiderunt; quod ipsum in declaracione exprimere, non est necesse: quia robur legis, seu Regulæ relinquitur, & veritas, seu Regulæ nos religantis intentio solum manifestatur: Imò eo ipso, quò lex vel Regula declaratur, robur illius à declarante jam agnoscitur: quia frustra illud operiū declarando exponeret, quòd roboris adiectione indigere agnosceret: potius enim tunc ex plenitudine potestatis statueret, quod declarando vellet.

Num. 56. Occasione hujus quæres: Cur tot Minoritanæ Regulæ Expositiones, Pontificumque necessaria Declarationes prodierint, quot de aliis tribus Regulis in Ecclesia Dei principalibus, Basilii scilicet, Benedicti & Augustini non inveniuntur? 57. Rationem disparitatis in promptu esse: quia omnes aliae non minus Sanctissimæ Regulæ, præter ea, quæ ad tria vota essentialia spectant, in Conscientia non obligant saltè sub mortali. Regula autem Minoritana (prout Nicolaus III. & Clemens V. ea declararunt, ac enumerarunt) septem continet præcepta formalia, duo inhibitoria, quatuor habentia vim præcepti, & duo.

decim æquipollentia, quæ omnia ad prædictorum Pontificum Declarationes obligant in conscientia, & sub mortali: sunt autem sequentia:

Formalia I. Quod totus Ordo teneatur præstare Obedientiam & reverentiam Domino Papæ & Ecclesiæ Romanæ, *Cap. 1.* II. Quod Fratres nullo modo denarios, vel pecuniam recipient, *Cap. 4.* III. Quod Fratres obedient suis Ministris in omnibus, quæ promiserunt Domino observare, *Cap. 10.* IV. Quod Fratres non habeant suspecta consortia mulierum, *Cap. 11.* V. Quod non ingrediantur Monasteria Monachorum, *Cap. 11.* VI. Quod non fiant Compatrii Virorum, vel mulierum, *Cap. 11.* VII. Quod Ministri petant unum de Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit Protector, & Corrector hujus Fraternitatis, *Cap. 12.*

Inhibitoria: I. Quod nullo modo liceat Fratribus de ista Religione exire, *Cap. 2.* II. Quod Fratres nihil sibi approprient, *Cap. 6.*

Habentia vim præcepti, etiam obligantia ad mortale ex Declaratione Pontificum: I. Quod Fratres teneantur recurrere ad Ministros Provinciales pro casibus reservatis, *Cap. 7.* II. Quod habeant unum de Fratribus istius Religionis in Generalem Ministrum, *Cap. 8.* III. Quod Ministri, & Custodes teneantur insimul convenire pro electione successoris Ministri Generalis, *Cap. 8.* IV. Quod, si aliquo tempore appareret universitati Ministrorum Provincia-

lium,

lum, & Custodum, prædictum Ministrum non esse sufficientem, debeant eligere alium.

Cap. 8.

Æquipollentia, Ex Declaratione Pontificum prædictorum similiter obligantia sub mortali: I. Quod Fratres habeant unam tunicam cum Caputio, & aliam sive Caputio, qui voluerint habere, *Cap. 2.* II. Quod illi tantum, qui necessitate coguntur, possint portare calceamenta, *Cap. 2.* III. Quod Clerici faciant Divinum Officium secundum Ordinem S. Romanæ Ecclesiæ, & Laici dicant: Pater noster. *Cap. 3.* IV. Quod Vestimentis vilibus induantur *Cap. 2.* V. Quod Fratres Jejunent à festo omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini, Sanctam Quadragesimam Resurrectionis, & feriis sextis per totum annum *Cap. 3.* VI. Quod non equitent, nisi manifestè necessitate, apt infirmitate cogantur, *Cap. 3.* VII. Quod Ministri, & Custodes sollicitam curam gerant pro necessitatibus Infirmorum, & aliis Fratribus induendis, *Cap. 4.* VIII. Quod Fratres serviant Fratribus infirmis *Cap. 6.* IX. Quod Fratres non prædicent in Episcopatu alicuius Episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum, *Cap. 9.* X. Quod nullus Fratrum populo audeat prædicare, nisi à Ministro Generali hujus Fraternitatis fuerit examinatus, & approbatus, *Cap. 9.* XI. Quod ubique sint Fratres, qui scirent, & cognoscerent, se non posse Regulam Spiritualiter obser-

obseruare, possint, & debeant ad suos Ministros recurrere, *Cap. 10. XII.* Omnia, quæ ponuntur in Regula, quoad formam habitus, tam Novitiorum, quam Professorum; & ad modum receptionis, ac Professionis spectantia: in quo multæ Conditiones obligatoriaæ comprehenduntur, *Cap. 2.*

Hæc omnia, si simul jungantur viginti quinque sūnt; & licet in Declarationibus prædictis Viginti octo sūnt, reducuntur tamen ad præfatum numerum; nam reliqua tria, insimul declarata, includuntur in suprà dictis; E. g. Quod Fratres teneantur obedire successoribus S. Francisci, ut dicitur *Cap. 1.*, includitur in illo *Cap. 10.* Quod teneatur obedire Ministro Generali; & sic de Cæteris.

Num. 57. Volueram in 1mo Capite, usque ad stum reservare statuariam M. Verini resolutionem, quam ponit pag. 201. ast, ne in illo loco (ubi magis seria cum ipso habeo tractanda) ad majorem nauseam iterum cogar Caputiare, eandem hic sub finem hujus materiæ nonnihil inspiciam. R. P. Hierotheus in Vaticana Statua non observaverat Observantem, nisi in solo Capitulo: contra quod ego, non tam argumentum faciens, quam ipsum de defectu reflectionis admonens in *Dialogo Contin.* notaveram, quod Observantes saltēm statuisset à Capite: ad quod M. Verinus pag. 201. reponit, mihiique opponit: *En argumentum marmoreum, quod ex Ma-*

tareno superius indicato sensu, nil magni efficere potest: Statua illius Caputium, testibus oculis, non prominet in Capite, sed lapidis (vult dicere Statua) dorso, & Scapulis inheret, qua sunt partes ad Caput nihil conferentes; unde si ex marmoris hujus Caputio extorquendus sit Ordinis primatus, oportuisset rem ordiri non à dorso, nec à Scapulis, sed vel à Capite per Caputium tecto, vel à partibus, qua Capiti co- & inherent, ac illud tum ornant, tum integraliter formant. Ad bac, si Statua, qua se totis Capucinum figurant, in opinione Matarena, nil probant, quid solum Caputium in Statua Vaticana probabit?

Num. 58. Respondeo: Imprimis, si M. Verinus post dorsum Statuae inspexisset, Decretum superius Cap. I. N. 3. per me adductum, tunc pro representatione Observantina non præcisè Caputium vidisset, & simul alias Statuas, quas ipse adducit, cum illa Vaticana ad æqualitatem non probare didicisset, utpote, quæ per Decretum hujusmodi concomitans non sunt legalizatae. Deinde, licet Caputium *Lapidis* vel *Marmoris* Vaticani (ut Caput discoopertum appareat) per accidens in dorso sit, & non prominat in Capite; tamen per se ad caput pertinet, cum ex natura sua, atque ex intentione Regulæ, sit capitum tegumentum; cui, si pro temporis ratione non deserviret, sancte repectu dorsi (aliunde ad sufficientiam per habitum recti) omnino foret quid superflui, quod nulla Regula

la magis, quām Minoritana in habitu abhorret,
 Congruentiam nihilominus, pro eo, quod Sta-
 tua ibidem stet Capite discooperito, & cum
 Caputio ad proprium suum usum non actualiter
 applicato, hanc (ne ad esse contentum tibi ali-
 quid desit) assigno rationem: tum, quia stat
in Ecclesia: tum etiam, quia in frequenti ho-
 minum conspectu, & aspectu ibidem exercet
representationis ministerium. Pro hoc ultimo
 S. Bonaventura in suo *Speculo Disciplinae* part. I,
 Cap. 25. etiam pro Professis inquit: *Opero de-*
center capite (utique per Caputium) Religiosus
incedat: nisi ob reverentiam alicujus Ministerii,
vel persone aliter agendum. Pro imō autem eā-
 dem parte Cap. 29. quod intitulatur: *De modo*
conversandi in Ecclesiis Secularium. Sic monet;
In ingressu Ecclesia illum secum Versiculum memo-
rantes: Introibo in Domum tuam, & adorabo
ac templum Sanctum tuum in timore tuo. Et nu-
dato capite signum Crucis cum reverentia facien-
tes &c. Quidni & ipsam Statuam oporteat simi-
 libus conformatam esse. Risura teneatis amici,
 Interim cum Jocante nonnihil Jocandum erat,
 Quæ autem idem M. Verinus loco jam citato de
 abusu textus S. Scripturæ mihi opponit, usque
 ad Caput 5. reservabo, ubi tanquam de magis
 seriis seriis agendo. abusum hujusmodi à me
 abstulerum, apertius in *Adversarium rege-*
ram, non nisi revocatione abster-
gndum.